

M

V

M

T

6

T

4

1. Contenta suig. Tom. Iambel
 2. Dolans lada carmina. Gal.
 3. Panegyrici Eridis 8bris solenni introductio. Acad.
 4. Iahae die, gratulatio p. H. Hen. Ioh. Theod. Allem.
 5. I. Caselij ad I. Arniſan ep̄ta. 1610.
 6. Gratulations iste fulta da strada D.
 7. Gratulations ad C. Odenu. Compliſ filia
 8. I. Caselij da mācor, Namorij neptis
 9. I. Caselij Bartoli hincij, secreti neptis
 10. I. Caselij ad Eobeld. Brunnerg. gloriatio sup' zedaginis obitum
 11. I. Caselij ep̄ta ad I. Zagna, in q' chitz, i. modestis. de studio di-
 eridi 3. de laudone historico
 12. Ep̄ta Caselij ad philippam e. Duto. pommerania
 13. Ep̄ta ad C. V. Vel. Lecum, ē litterarę studia, quos fi-
 ne, quo orbine di modo celal ingarnish adoloscas, pri maris
 in zpp. casis filij.
 14. obitio Christ. Heilmani de vero ac primo bono
 q' facere debi in cibis. hac societate somo fit.
 15. obitio farr. Scripta fratre Mylo, Caselij
 16. etrusci exzestus vita Valeriani Casp. s. myl. I. Caselij
 17. programma in funere d. parecij
 18. Caselij orationibus, in promotione Magistri a dux. 1610.
 19. Ioh. C. Ep̄ta ad Thaddeus Bohr
 20. I. G. obitio doct. Ignatia de Sabore Ioh. ad Er. in clau.
 21. Ep̄ta dux I. Cas. & q'q' normilla q' prole sua
 1. doct. Ignatius obitio in morte d. securitate
 2. Securitate d' urbanitate
 3. a laude nūc dux p' maris & concordia

13.

ORATIO FVNEBRIS
scripta

ANDREAE MY=

LIO, V. CL.^{MO} ILLVSTRIS-


simorum Ducum Megapolitanorum
Consiliario.

*R*ecunendo et electissimo
ludvum Eg(n)is
viro. M. Valentino Mylio.
exadre iacti Mariana

qsi u. naon 121

Helmaſt. in acad. Julia,
Typis I A C O B I L V C I I,

Anno cI9, I9, cXI.



IX. cl. clo. anna

Generosissimis & illustrissimis principibus, ac dominis,
Dn. ADOLPHO FRIDERICO, & Dn.
IOANNI ALBERTO, fratribus germanis, ducibus Megapolitanis, Principibus Vandalorū, Comitibus Suerinensibus,
Dominis Rostochiensium & Stargardiensium &c.
Dominis suis clementissimis

S. D.

IOAN. CASELIUS.

Nec in genere, quamvis regio, sunt omnia, neq; genus illustre nihil pollicetur & praestat: quod cum res ipsa semper probatur, inde nata sunt prouerbia, ore etiā populi usurpata, in incultis nō minus gentibus, quam à Romanis, vel Atheniensibus. Hanc rem modo consideranti, veniunt in mentem plura, vnum ē Saxonici sermonis vsu mibi proferre libet: aiunt, poma decidere proximè arborem: quod vt apud nos avrymatodes, à diuersæ linguae gentibus non subito intelligatur. Libet autem mibi id interpretari, si quis forte extorum hanc meam lucubrationem legat. Indicatur, qualis sit natura arboris, tales esse solere fructus. Sunt enim vt plurimum tales etiam minores, quales maiores antefuerint. Ceterum cum perpetuum non sit, de ingenita excellentia inanum est iactantia, qui quotidie in ore habent imagines maiorum, siue, vt hoc saeculo loquimur, clypeos alios atq; alios, & clatratas atauorum galeas. Namq; & ex humilibus excitat Deus praestantes: & permittit, vt, si non ex aquilinis ouis columbulæ excludantur, non raro equester progeneret peditem. Hoc cum vtrinq; animaduertitur, neq;

A 2

humili-

humiliores desperant, neq; alteri declinant à mod. stia. Exempla utriusq; generis in promptu sunt: mibi quoq; multa in numerato sunt, si verbosior esse velim in limine epistole, quam non nisi breuem meditor. Maneo in sententia utraq; vt pri-
mum emergentū ingenia din explorē: de ijs qui generosi, &
cum primis regj sanguinis sint, statim & ipse benē sperem,
& benē alios sperare iubeam Quare neq; ipse familiarum con-
siderationem negligo, & principes iubeam maiores adjice-
re. Itaq; hæc ad vos scripturus, ducum Megapolitanorum fa-
miliam recogitaui, etiam altius, quām hic indicium facien-
dum censem, cum hærerent mihi quasi in oculis eorum etiā
vultus, quos ab annis sexaginta vidi, plerisq; ipse notus ex
beneficijs, quæ in me pro principum liberalitate contulerunt,
in hunc etiam vñq; diem. MAG N V S III. laudem iustitiae,
prudentiae, fortitudinis, clementiae, deniq; in Deum pietatis,
sine qua illæ aut simulatae sunt, aut certè imperfectæ, singu-
larem promeritus, vestras provincias tradidit duobus filiis,
H E N R I C O, qui pacificus quod esset, pater quoq; patriæ di-
ctus fuit, vt erat (eum ego septuaginta annorum principem
peradolescens vidi) & **A L B E R T O**, ab uno vestro, qui prin-
ceps illius saeculi, & humanissimus fuit, & splendidissi-
mus. Inter fratres conuenit fraternè, vt cum in diuer-
sis arcibus, interdum in una eademq; familias haberent,
pari imperio gubernarent omnia, communibus populis bene
consulentes, id autē non nisi paternè. Cum patruo annus vester,
IOAN. ALBERTVS, annis paucis gerebat imperium: de quo
orationē funebrem habui, sine potius perscripsi, anno abbinc
quin-

quinto & trigesimo: etiam sexto abhinc eiusdem optimis
sapientissimis principis laudationem ad vos misi. Volui enim
vtrumq; & a vobis quoq; intelligi, & me hominem gratum,
& nepotum mihi animos deuincire, vt patris quoq; & patrui
antè deuinxisset. Et vero hoc obtinui, cum illud, quamvis
debitum officium, probassetis. Patrio porro decedenti suc-
cessit patruus vester dux H V L D E R I C V S, qui item in-
ter se fraternè, in rem paterne, prouincias Megapolitanas
rexerunt. Pater vester IOANNES successit porro avo: patruus
vester S I G I S M U N D V S A V G V S T V S decepsit, vt sci-
tis, iuuenis admodum: utiuam vero superuixisset IOANNES
pater vester. Sanctè admodum à sapientissima matre consti-
tutum, vt & patruis & H V L D E R I C O & CAROLO, Me-
gapolin regentibus, in literis, cum domi, tum inter peregrini-
nandum, ad regias virtutes siue veram reipub. hæreditariae
administrationem, educaremini. Erga reuersos verò iterum
meam obseruantiam declarauì, missò ad te, princeps A D O L-
P H E F R I D E R I C E, Crusiada, cum traieisses in Sueci-
am, princeps IOANNES ALBERT E. His autem diebus
etiam annus est, quando edidi de patrui vestri CAROLI vi-
ta quædam ad proceres scripta, que non vidistis solum, sed ho-
norario missò, vobis mea studia admodū placere, testatum fe-
cistis. Etiam verò antè, & tum quoq; habui in animo, ante
plures annos scripta, nondum diuulgata tamen, ad vos mitte-
re, non tam de vita Cl. V. socii mei, A N D R E A E M Y L I, qui
mibi à prima quoq; notitia nostra pro patre fuit, quam de gu-
bernatione opt. & sapientissimi, & beneficentissimi ani ve-

ſtri, principis IO. ALBERTI. Multa enim illinc cognoscetis, que ſcire vobis & imitari expediat. Beneficia pridem accepi plurima à quo professus sum annis ante, quorum omnium maximum eſt, quod me in vestris cum habueritis, habetis, ſemperq; habituri eſt: neq; vero me ſolum, ſed & meos, qui ſuperfunt duo generi, ICI prästantiſimi, noti quoq; prästantiſimi viris, qui vobis à consilijs ſunt. Filios enim, IOAN.
Hyp LDERICVM & IOAN. CAROLVM, CASELIOS, qui paternæ expectationi iam maximam partem ſatisfecerant, & ſibi, paſſim in Germania & Italia, doctrinæ principum virorum benevolentiam parauerant, IO. VLRICVM anno ab hinc XV, IOAN. CAROLVM ſuperiore Februario, recepit ad ſe, qui illos mihi dederat, ut ipſi viſum fuit: maluit videlicet eos æterna hæreditate beare, quam in hac mortali vita alijs atq; alijs ærumnis plures annos exerceri, quod mihi euenit ad annos propè octoginta: quo omni tempore mihi nihil accidit hac mæſtitia acerbius, quam ex animo meo delere, neq; tempus poterit, neq; ullæ rationes: emollunt forte aliquantulum hæc ipſa: prä omnibus autem, quod omni decreto ſummi imperatoris sancte nos ſubjicimus, quam humiles, & quam magni ſumus. Namq; hac in parte & equantur omnes, quidquid eſt mortalium. Hoc ipsum cum non minus ſapientiſimi reges intelligent, humanitatem & ipſi colunt, & omnia conuerunt in beneficentiam. Quod de vobis präconium cum omnī ore conſirmetur, in hac regiarum virtutum orbita vos tota vita progressuros auguror: qua eſt optata pincipum felicitas, vosq; proxime æterno principi collocaſt: hac deniq; etiam voti mei ſumma eſt.

Valete principes generofſimi. Helmeſtadio ex acad. Iul.
non. Sextil. c12 I cxi.

Magnifico & excellentissimo V.
Dn. HAIONI à NESSA, ICto, & oratori clarissimo,
aulici Megapolitani senatus principi, & Cancellario,
dn. & amico honorando
S. D.

IOAN. CASELIVS.

NOtitix quam cum doctis, ijsq; bonis viris passim genti-
um, tūm corām, tūm per litteras, siue paucis compellatis,
quos suspicere, siue ab alijs ipse compellatus, qui ali-
quo loco me haberent, contraxi ab adolescentia vsq; : il-
lius, inquam, notitiae, quam neq; falsò amicitiam dixerim, recorda-
tione in rebus humanis nihil ferè mihi accidit iucundius, nec ferè
alia re, potiore ex parte, mihi viuere visus fui, atq; etiamnum vide-
or. Itaq; non solum ex interuallō amicos libenter video, aut eorum
litteras cum voluptate lego, sed operam etiam do, ne quod huius-
modi officiorum siue studiorum in me diu desideretur: quibus ipsis
si hac ætate & inualetudine minus satisfacio, gratum tamen me
facere cum sciam, scribo non quoties amici desiderent, aut ipse ve-
lim, tamen quoties perilla, quæ dixi, licet. Denuo tibi debeo, diu-
tius, quam oportuisse fateor. Ero igitur & hac de caussa paullo lon-
gior, & quia hæ publicè etiam legentur, quod tu quoq; & quo animo
feres. In amicitiæ porrò cultu sàpè respicio ad principium, & quæ
exinde secuta fuere, mutua studia huic generi amicitiæ conuenien-
tia & propria. Relinquimus enim commodis destinatam illis, qui
cum potissimum finem colunt. Cum tu annis ante pluribus ex aca-
demia Iulia istuc ad Varnum venires, in ipsis quasi foribus primæ
notitiae nostræ multa me ad te diligendum inuitabant, in consulatu-
tione comitas, in moribus elegantia, in conuictu suauitas, quæ
omnia & doctrinam tuam simul repræsentabant, & animi integri-
tatem, virtutum primarum certissimam internunciam, quam neq;
aberret, qui omnium apicem nominet. Sed mutua benivolentia
vtrinq; simul initium datum, haud insciandum existimem, cum &
tuum in me animum statim viderem, neq; meum in te dissimula-
rem: hæc igitur cum illis amicitiam inter nos constituit, quæ rectè
coalesceret & firmitatem polliceretur. Itaq; cum tu in Megapoli-
tam in academia, quam apud principes maneres, ego hoc migra-
rem;

rem, animis ex eo tempore ynā fuimus; ex interuersis nos vidimus,
litteris nos consulitauimus, cum sapientius quoq; scripsit, quām per-
petuæ occupationes sincere videantur, ego otiosior à te superatus
uideri possim. Non in nulla re te consului. Memineris, vt olim hac
transuenti Cl. ANDREAE MYLII, socii mei, vitam tibi legen-
dam dederim; plerasq; videlicet paginas, quæ typis erant expre-
sse: edenda enim illa nondum putabam: qua de re dum cunctan-
tiūs delibero, alia atq; alia me ab hac cogitatione & semiperfectis
laboribus retinuerunt: calamitates domesticæ plures, aliæ acade-
miciæ, neq; vnius generis: neq; leuiter perturbarunt nos resq;
nostras motus in vicinia, quorum neq; hodie videmus exitum. Tan-
dem visum mihi fuit, hanc meam narrationē ad eos mittere, quibus
deberi potissimum ex eo tempore iudicamus. Superiorum an-
norum historia, quam ego & principium, & istarum nationum Me-
gapol. & academiæ inferui, nemini potest esse gratior, neq; alijs
potius debetur, quāq; illi mis fratribus, ducibus Megapol. filiis
IOANNIS, nepotibus IOANNIS ALBERTI. Ati autem eorum
sapientissimus amplissimas laudes cum nusquam silentio præteri-
erim, hic decantandas mihi sumpsi, simulq; plures, quibus princeps
sapientissimus in aula & consilijs vsus fuit, celebraui. Id consilium,
cum neq; tu improbaris, exequor nunc demum: teq; rogo, vt mea
studia deferas vtricq; principi, & Cl. collegis tuis, qui illis à consilijs
sunt: iubeas quoq; lucubrationis meæ exempla reddi & ijs ipsis, &
viris equestris ordinis, quotquot bona doctrina exculti sunt: ijs cū
primis, ad quos vitam ducis CAROLI misi. Nec enim dubito, quin
qualecunq; illud munus meum, ab animo beneficiorum memore
profectum, gratum quoq; illis fuerit. Et vero, dum istic vixi,
dumq; hic viuo, semper studui, & studebo porrò, pietatem meam
principibus, studia mea probare Megopolitanis. Quod de meo
animo, & principibus & proceribus rectè affirmare potes, vtq; hoc
facias, quando in tempore fieri intelligas, te etiam atq; etiam
rogo, non noua de me pollicens, sed quæ semper vtrō
præstisti, & præstare potero. Vale. Helmæstadio
ex academia Iulia. V.id. Sext.
Cl. Is cXI,

IOACHIMO MYLIO, VIRO NO-
bili in Gœdebenda ad ripam Varni,
prope Criuitum.

S. D.

IOAN. CASELIUS.

Quod velle vos sciebam, ut magno viro, Andreæ Mylio, patri tuo, socero meo, orationem funebrem conscribere, id vltò in me statim recepi, et si hoc fortè alius ficeret rectius, qui omnia citra reprehensionem exponeret vberius, & illustraret luculentius: neq: non id ipse mallem. Eiusmodi enim scriptor & filij & generorum, & in his meas, si quæ essent, aut esse putarentur laudes explicaret, iure quodam suo, plenius. Mihi in ipso socero laudando & cura & cautio maior fuit adhibenda: de affinibus dicendum parcus, de me tendendum silentium. Quis enim propriarum rerum præconibus aures dat absq: fastidio? Quin, qui faciles sunt, vt plæriq: sumus, in prædicandis suis bonis, antè partarum etiam laudum, sæpè iacturam faciunt. Ego vero quia ex generis primus eram, & socero multis ipsius beneficijs deuinctus, suscepi in me hoc negotium. Quod alijs videtur leue, & in promptu est, in eo quamvis non prorsus inexercitatus plurimum difficultatis reperi, quam initio arbitrabar, nec tantum ea de caussa, quam dixi, sed & ob aliam, quam tu quoq; maioris esse momenti dixeris. Cùm enim non prætereunda essent negotia, quibus dissimulatis deterere viri laudes videarer, caendum esse mihi intelligebam, ne culpa mea in gravem plurium censorum inuidiam iucurrerem. Columnam autem, quæ est malevolentia, etiam in clara luce veritatis declinare ne prudentissimus quidem & disertissimus scriptor

B

poteſt.

potest. Eam igitur à me tum delineatam sive perscriptam
orationem (namq; meditabar eodem tempore, ac ferè eadem
opera conscribebam) misi ad vos, quorum in ea censuram
esse primam oportere existimabam. Nam & filius & generi
videretis, si quid aut præteritum esset, aut non satis expli-
catum. Alij monuistis de alijs: ego ad emendationem accessi
lentius, ut tergiuersari etiam vobis viderer. Ostendistis enim
ex interuallo, subuereri vos, ne editionem prorsus relinque-
rem, quæ maturanda tamen esset vestro iudicio. Nam talia
nisi in tempore gerantur, nihil habent amplius ad populum
gratiæ. Aiunt enim solemnia quæq; sive lugendum sit, sive
gratulandum, debere in tempore fieri. Quod etsi neq; mihi
fecus videtur, nam si funus clari viri celebrare velis, id eo lo-
co aptissimè eoq; tempore facias: alia tamen est, ni fallor, eo-
rum ratio, quæ monumentis litterarum confignantur, ut
longè gentium & futuro etiam fortè saeculo vigeant, & le-
gantur. Quod etsi plæriq; sibi pollicentur, vt est in vnoquoq;
plurium scriptis, & omnium ferè vocibus nobilitatus amor
sui: quotus id quisq; tamen adsequitur? Nec enim libri, nisi
velut ad vnguem perfecti, esse potest viuacitas: quin multi
quo die lucem adspicerunt, occidunt. Caussæ igitur multum
est, cur in eiusmodi opere non celeritas & maturatio, sed ma-
turitas potius & bonitas flagitanda sit. Vilia namq; si sint,
cuiusmodi ferè quodq; extemporaneum, ne quidem officij,
atq; adeò vix studij nomen mercantur. Nec tamen hæc cura
me tantum retardauit ab exspectata editione. Inciderunt
enim priuatæ calamitates, quas tu non ignoras, pridem ami-
cis cognitæ, obitus carissimi filij, & lis deinceps, nec opina-
ta, & infelix, non tam exitu, quam diuturnitate contentio-
nis, tum publicæ, cum nos morbi populares triennio vexau-
rent, & in Transsueranis agris peregrinorum militum po-
pulationes nobis quoq; non timoris nihil incenterent: quæ

„tot tan-

tot tantaq; mala si animum meum non penitus affligerent,
non leuiter tamen afficerent. Etenim & longinqua mala hu-
manitate præditos commouent. Itaq; non tam obiurgatio-
ne, quam commiseratione dignus videar, qui quædam in-
choata, quædam perfecta poenè abiecerim, vel inuitus cer-
tò seposuerim: in ijs est & hæc lucubratiuncula, quam quo-
ties interea adspexi, piguit inter tot molestias, & in tanta
animi ægritudine ei manum denuò admouere. Nec sum ho-
diè ad rem paratior, quando tempestates & inundationes à
bruma factæ & animum meum tentarunt non leuiter, & va-
letudinem magis labefactarunt, quam & annis attenuatam
injurato creditis. Tandem flagitationum vestrarum quasi
conuicio excitatus relectioni orationis tribui hosce dies ali-
quot, multa induxi, pauca adieci, aliqua emendaui, pleraq;
reliqui, vel quòd meliora non habebam, vel quòd ferri posse
indicarem. Nam quæ à me profiscantur, tenuia esse, facile
perspicio, nec eiusmodi, quæ acutissimorum hominum cen-
suram sustineant. Haec tenus de mora ea ad te scripsi, quòd
tute instares potissimum de editione, veritus quoq; opinor,
de si quid mihi graui ætate humanitus accideret, aut opella
nostra mecum vñā occideret, aut publicaretur negligentius.
Laudo te, Ioachime, qui honori patris in omnibus consul-
tum velis, in quo me habes à te secundum, ac fortè tibi pa-
rem. Viri enim laudes in ipsius nepotes, liberos meos, aq;re
redundant. Laudo magis, qui vt paterni ruris, ita paternæ
dignitatis hæres vnicus, quemadmodum illud colere ab ini-
tio constituisti, ita & hanc omnibus rebus tueri studiisti, vt
te equestri loco dignum gereres: quod vt commodè faceres,
à puerò prorsus nihil tibi defuit. Magnum esse creditur, nec
ipse negarim, quod sapientissimus imperator Maximilianus
patrem tuum ob virtutum & merita in patriam adscripsit in
album nobilitatis Germanicæ, insignibus de more tributis:

mois qui

B 2

maiis,

maiis, quod vltro fecit, paterq; tuus munus illud imperatorum prius accepit, quam paratum sibi intellexerat, de quo ipse neminem compellasset. Cum autem cognitus & carus esset proceribus regiae, existimo auctorem eius beneficij exstitisse Huldericum Zasium secundum, summi iudicij, & primae auctoritatis virum, cuius manum adscriptam vidi diplomati. Pater erat ea modestia, ut minus ostentaret, quod tamen in rebus pretiosissimis habebat: tu ea prudentia & animi magnitudine, ut partum a patre decus conserues sedulò. Dixi, ut posses, omnia tibi in promptu fuisse. Indoles primum animi rara & paterna, nec quod ad corporis bona, negligenter te natura habuit. Quid de educatione dicam? qui puer domi paternæ in aula, & deinceps domi meæ in academia Rostochiensi adolescentibus cum nobilissimis adolescentibus & principibus fideliter eruditus fueris, & prima ætate ita te gesseris & eleganter & modestè, ut cum in eorum consuetudine te nemini anteferres, omnes te amarent plurimum. A studijs quidem doctrinæ tibi non recedendum putabas, sed accedendum etiam ad artem equestrem. Itaque tum dux Megapolitanus, optimus princeps, Ioannes, Ioannis Alberti F. te in familiam suam adscivit in ordine equestris: neq; non semper fuisti iucundus & carus iuuentuti nobilissimæ, donec pater tibi rem omnem familiarem tradidit, cui ipse per negotia non præfuisset, mater per grauem ætam, ut antè, præesse amplius nequiret. Est hoc genus vitæ, ut sapientes etiam scriptum reliquere, & quietissimum, & iustissimum. In eo vt te geras, ipse tibi non occinam, qui alijs exemplo sis, & boni patrisfamilias nomine prædiceris a vicinia. Istud autem Mylianum, quod pater misis dedicauit, quas cum in aulæ strepitu atque negotijs non posset, in isto recessu religiosè coluit, cum litteris carere non posset; non dubito, quin quotidie aliquid legas aut mediteris: voluptatem

Iuptatem certe capiebas ex historijs: pulcrum est & te dignū,
ea esse & virtute & doctrina, vt cum res tuas commodē ad-
ministres, tum si patria, si propinqui, si amici, si vicini te
consultant, ne ista ætate, ac multo minus grauiore, consilij
penuria labores. Boni autem consilij copiam non tantum
vnu, sed multo magis doctrina & exemplis (vtraque libri ve-
terum suppeditant) comparari, te fugit minimē. Vnum su-
perest, quod te fruстрā hactenus monui: non falsus autem
animi sis, si de eodem te à patre moneri existimes: vide, ne
longius annum transeas, quem nuptijs non solum Plato de-
terminat, sed alij quoq; viri sapientes, qui de conseruanda
propagandaque ciuitate fideliter nos docuerunt. De quo
consilium plus quam satis diu ceperis, id aliquando matu-
randum memineris. Alij fructus alio anni tempore proue-
niunt, hieme niues, & frigora, & quæ non tempestates? fru-
ctus ferre non sinunt. Vale Helm. ex ac. Iulia. Kal. Mart.
cīo. I. cī. II.

εἰς σωφροσύνην.

ΣΩΦΡΟΣΥΝΗΣ οὐ μετέχον ἐνθαρ ἐν ἀνδράσιν εὔροις,
Ωκαλί, καὶ τὸ ιδίως ὡς ἀνθλασθεῖται ἀνήρ,
Ηπι ὅγ' ἐδμηθη Καθερέη ἡ Διονυσός,
Τηλόθι τὸ αρετῆς ἐπὶ τὸ οὐδὲ ταλαιάσαι.
Ομμα τοῖς οἱ ψυχῆς, ἀμελέτῳν αὐτὸν ἀπ' αἰρῆν,
Τῷ Διαγνώσκοντος εὐμερέων ύγιεῖ,
Τὰ βλάσεις ὀφελίμων, κανά τ' ἐδιλῶν, ποιησεῖ το καλῶν,
Οἶσε σο αἰρεθεῖς, καὶ Φυγάδεν, ἄξο Λεῖ,
Ολετρ. Τινὴ το παπυμδόθε, εὐφρονί θυμῷ
Παιᾶνα καπεχαδού γιθέα ταλασσέροις,
Οινγει, καὶ τὸ ἔρωτα, λόγουδοί, εἰτο πᾶσιν ἔχεδην.
Οὐτόθε, οὐδὲ γιγενόδη σ' εἰς ἄγαθον οἰδε μάνθο.
Δινὸς καὶ μάτρεα Φρονέτη εἰτο πᾶσι κελεύθ.
Τῆς αὐτῆς γὰρ ἐφυ καὶ πόδε σωφροσύνης.

B 3

IOAN-

IOANNIS CASELII
oratio funebris scripta
ANDREAE MYLIO,
V. CL.

AB ultima ferè Græcarum Vrbium, & Latinæ potentiæ memoria, in Ysu fuisse accepimus, vt singulari Virtute præstantes & benè de patria meriti cum laudatione efferrentur: laudarent autem eos non solum, qui vim virtutis intelligerent, & dicendo plurimum valerent, sed etiam, ad quos aliquid beneficij ab illis peruenisset. Hæc consuetudo non inolenit absque rationibus. Censebant enim, & gratos esse & se ostendere tales oportere, quod non nisi dicendo vita functis præstaretur, & debita virtuti præmia persolui rectius non posse, & sic excitari cæteros, & erudiri ad honesta facta, & præclarè merendum de alijs. Eadem verò me quoq; nec aliud mouit, adscribendas orationes funebres, quas scripsi aliquot, nec multas tamen: idq; pulcrius esse non dubitaui, quam aliorum famam rodere: quod non solum sermonibus, sed & scriptis multorum hodiè, malo priuato & pessimo publico, frequentatur: vèl etiam acerba oratione criminosos insectari. Disciplina mibi fuit exemplum sapientis poëtæ, qui in diuino suo opere omnes, quemq; suis, laudibus afficit, non nisi unum seditionis militem, vt meritum eius erat, exagitat. Hoc ille fecit, credo, quod arbitraretur, tætrius nefas & scelus extiosius excogitari non posse, quam bona ratione constitutæ

societa-

societatis ordinem conturbare, & in legitimos magistratus
concitare mobile & imperitum vulgus. Etsi igitur non du-
bito, quin quod huius fecerim, faciamq; , bonorum nemo re-
prehensurus videatur; tamen studio in hoc genere parcior
sim, nisi me amici ad hanc rem, sine precibus, sine auctori-
tate sua cogant magis, quam permoueant. Nunc autem soce-
ri mei Andreæ Myly vitam cœpi quidem vltro scribere; quod
nisi in animo habuisset, compulissent tamen me amici, quos
ille passim plures habuit, obstrictos sibi officijs multis, & be-
neficijs non leuib; ipsius cæteri generi, affines mihi perbe-
nevoli & cari. Etenim ipsi quoq; & magnum virum fuisse
& benè de nobis meritum statuunt, & libenter prædicant,
& prædicari ab alijs gaudent. Nec iniuria verò hunc mibi
laborem relinquunt: tum quod primus illi fui gener, tum
quod omnes viri viterationes mibi à pluribus annis, adeoq;
ab adolescentia mea, quam illis notiores, quibus tamen ipsis
& alijs præterea amicis, quo minus à me aberraretur, hæc
legenda censendaq; dedi. Sequar autem & ætatem ipsius
Myly, & cætera, quemadmodum ea exspectare & desidera-
re lector videatur, si quis forte erit alius præter propinquos,
qui viri memoriam ad nostros, minores potissimum, propa-
gari velimus: et si referentur à me non pauca, quæ alijs ex-
emplo & disciplinæ futura, si cognoscantur, existimem.
Quamquam autem de ipsis minus laborandum est, quæ in pote-
state nostra neg. sint neq; fuerint, sed in fortunæ arbitrio vul-
go feruntur, tamen quia ipsa præterire vetant, qui de ratio-
ne dicendi, accommodateq; ad captum multitudinis lucu-
brandi

brandi præcipiunt, tum quia omnes scire auent de omnibus,
tum quia illis, vt cung. se habeant, recte vti, virtutis est;
nec eas ipse leges penitus negligam.

Primum igitur de patria: quæ Mylio fuit Misena in Misnia ad Albim. Hic verò si longus esse velim, multa congeram de gentibus, quæ ad eum fluvium olim habitasse existimantur: de quibus tamen pauca proferre licebit absq; reprehensione: nec libeat sanè exponere plura, de quorum certitudine assuerare, temerarium existimetur. Migrationes enim gentium non tam nituntur fide historica, quam coniecturis. Olim cis Albim sedes fuere Hermundurorum, Soraborum, Longobardorum, nec forte omnium eodem tempore. De Hermunduris honorificè scribit Tacitus, fuisse à Romanis, vt amicis, datum, vt liberè in prouincia Germanie Rhætia negotiarentur: ex quo apparet, eos illius ætatis homines & industrios fuisse & fide præstantes: nec non societatem ciuillem bonis legibus habuisse constitutam: deniq; aliquem ibi fuisse virtutis cultum, & aliquid studium humanitatis. Sed populi mutati sunt in gentium migrationibus. Siue enim populos gentes, siue à potentioribus patria pulsæ sedes quærebant: si regiones ab hominibus desertæ non essent, ipsos incolas vel in prælijs trucidabant, vel sub iugum mittebant, vel è suis vicis fundisq; expellebant, nihil experti iure, cuius in prisca barbarie nulla erat ratio, sed vadentes solida vi, vt ait Ennius. Sic Mysos Hermunduriam occupasse, siue suspicantur, siue adserunt, quod partim historie confirmare, partim ipsum nomen testari videatur. Fuere primum vtraque Myria,

Mysia, & maior, & minor, in Asia minore, inter Phrygiam
& Helleponsum. Cæterum Mysii illi ulterius progressi citra
Danubium habitarunt: quorum una regio inter Macedoni-
am & Danubium, cuius pars Dardania est, superior Mysia
dicta fuit: altera inferior, inter Thraciam & Danubium,
ubi hodie Bulgaria. Deinde partim Daci, partim Bulgari
& Hunni illos Mysos eiecerunt, atq. ita in Germaniam ve-
nisse creduntur, quos hodie Misnenses nominamus. Sed neq;
hic cum alijs contendam, qui ijs, que dixi, minus adsentun-
tur; & quoniam regiones à fluvijs nomina interdum sortiun-
tur, eorum coniecturam probabiliorem iudicant, qui à Misa
fluiolo infra arcem delabente in Albim nomen oppido impo-
situm aiant, quod in totam regionem porrò translatum ex-
istimari non abs re possit. Hoc igitur in medio relinquam.
Ut autem in Misnia nostro seculo æquis legibus administren-
tur omnia, ut cum cæteræ artes, tum liberales ibidem flore-
ant, ni breuitati studeam, multis explicem: sed res contro-
uersa non est, & manifesta, & prædicata à multis: eaque
laus ab alijs porrò illustrabitur. Mores gentis honesti &
elegantes etiam prouerbio locum dederunt per Germaniam.
In Misnia ad Albim sita est, vrbis Misnia: quo loco & flu-
violus Misa è monte prorumpens in Albim, ut modò di-
xi, delabitur: & regioni & vrbis & fluiolo nomina à My-
sis indita itidem videri queat. Oppidum autem & arcem,
quo loco vel vicus tantum esset, vel trajectus, aduersus fini-
timos hostes condidisse Henricus Auceps creditur. Igitur
Misena ab annis sexcentis sexaginta quinq; excreuit in hanc

C

amplitu-

amplitudinem & elegantiam : ciues honesti & splendidi, &
humani & benefici. Ibi, vt dixi, natus fuit Andreas Mylius
non opulentis, sed honestis parentibus : Andree pater Petrus
architectus erat, nec solum in aedificijs priuatis, sed etiam in
pontibus struendis & publicis alijs operibus patriae industria-
m artemq; suam cum laude singulari probauit. Mater ei-
erat Gertrudis e familia cum primis honorata Spenglerio-
rum : cuius duæ sorores primarijs item maritis Hainæ nupse-
rant, altera Glizo consuli illius Vrbis: altera eiusdem septem-
virali præfecto, viro nobili Keizenhouio : cuius duos filios
post Suerini nouimus, Ioannem & Christoporum : atq; eo-
rum hic à cubili erat principi Ioanni Alberto : ille tenellis
principis filijs præstò erat, idq; munus gerens, ibidem morbo
correptus diem obiit. Pater cum in re familiari haberet,
quod satis esset ad educationem liberorum, & in ijs præstare
cateris ingenio, ipse magni ingenij pater Andream animad-
uerteret; bonis litteris erudiri insit : dubium, ille nè puer
Musas, an hæ illum magis complexæ fuerint. Quæ enim ma-
gistra docerent, non ea tantum capere, sed plura & capere
& desiderare videbatur : nec eorum expectationi satisfacie-
bat, sed eam ante pubertatem facile superabat : nemo erat,
qui virum magnum aliquando futurum crederet : erat de-
nig in ambris ijs, qui morum elegantiam & litteras in
pretio habebant. Adolescentulus elementa non Latinis so-
lum, sed & Græci sermonis tenebat, & vt ingenium erat,
ludibundus ita perceperat, vt cùm maiores anteufereret,
tum animaduerteret in ijs, qui docerent, esse, qui quæ pueris
decanta-

decantarent, non nisi primoribus labris ipsi degustassent: immo saepè puer viius alteriusq; à se animaduersam inficitiam derisisse dicitur ad condiscipulos: quod non tam forte laudet aliquis, quam reprehendat temeritatem pretio docentium, quæ nunquam didicerint: ingenium pueri omnino admirationi fuit omnibus, profectus in prædicatione doctorum. Habebat in ludo patriæ senatorio primum præceptorem *Vulpium Francum* & eundem porrò in ludo illustri: quem virum sedulum & singularem morum informatorem fuisse audio, nec tamen adhuc Latinis Græcisq; litteris satis per politum: quid mirum? cùm eo tempore in hisce regionibus inculta illa loquendi ratio nonnihil sordere, & altera eruditam vetustatem sapiens elegantibus ingenijs placere primum inciperet. Itaq; passim erant, qui veterum scripta cognoscerent cum diligentia, & ad eorum imitationem cùm ipsis se componerent, tum alios adsuefacerent. Eius rei in Misnia initium faciebant, vir prouectioris etatis *Riuinus Attendoriensis*, & iuuenis *M. Dabercusius*: de hoc inferius agendi vna atq; iterum alia mibi erit occasio: de illo hic dicam, quod ad rem satis sit. *Riuinus* ille bonos scriptores & quidem in utraq; lingua omnis generis diligenter evoluebat: cumq; homo Πυθαγόρης in rebus multum intelligeret: tum proprietatem & puritatem sermonis obseruare iubebat cultores Latinitatis: etiam desudauit, nec frustra, in emendandis veterum scriptis: si quid haberet suspectum, veteres scriptos libros inspiciebat, & ex ijs eruebat non pauca: nunquam ferè sola coniectura nitebatur: quam rationem sobrij correctores initio sequebantur: sed postea exercitus

ercitus prodijt criticorum, ex quibus nonnulli confoderent
et ingularent, quae vellent, substituerent, quae viderentur.
Hic verò cùm studio suo doctrinæ studia multum inuerit; et
laudem meretur, et gratiam: nec ipsi me multum debere in-
fitor, cuius animaduersiones non absq; fructu legerim. Sed
quod huc pertinet, cùm ecclesiasticus senator esset Rinius,
auctoritate eadem ludos litterarios constituebat, habebatur
primarius scholarum illustrium ^{Φορέας}. Non erat adolescen-
tem Mylium, cum ex ingenio, tum ex verbis Henrici Siberi,
ita ut eum propè in domesticis haberet. Siberus enim Mylio
non multò maior, eiq; ex condiscipulatu amicus, Ruius in scri-
bendo tum operam dabat, et ostendebat huic suo sodali, que
quantaq; ex hero suo didicisset, in primis quemadmodum vel-
let pueros formam Dabercusij se qui: diuersam enim falsam
esse et Fordidam. Hoc igitur consilio ambitiose vtebatur My-
lius. Id autem eius acre studium minuebat alterius præcepto-
ris benevolentiam, ut sit non modò in morum, sed etiam in
opinionum diuersitate: Ut plurimum, qui se superari sen-
tiunt, irascuntur absq; causa melioribus. Namq; Vulpius ini-
tiò et Mylium et Paullum Vogelium amabat, illius soda-
lem, qui ex eadem disciplina Dabercusiana, ne ambiguè scri-
psisse videar, prodiens, ad summam eruditionem peruenit,
supra iurisprudentiam, à qua amplissimum honoris titulum
gessit. Itaq; eum elector Augustus filio Christiano, qui in ele-
ctoratus dignitate paucis antè annis patri succedit, præcepto-
rem, et animi morumq; informatorem dedit. Dabercusium
enim sequebantur, et colere præ Vulpio videbantur inge-
niosiores.

niosiores. Mylium audiui s^ep^e profitentem, Dabercusio de-
bere se omnia: quo magistro litterarum tirocinia absoluera^t,
& adspicere iam & mirari artem eloquentiæ cœperat. In hoc
nobilissimo studio prædicare solebat se magnoperè adiutum
consilio Georgij Fabricij. Quatuor enim antè bellum Germani-
cum annis instituerat illustrem ludum Misenæ vnum, in
Porta alterum princeps Mauricius: quorum illius antè men-
tionem fecimus, deq^{ue} hoc illustrando atq^{ue} perficiendo cūm di-
ligenter ageretur, de consilio Riuij euocabatur Argentina
Fabricius, paullò antè illud Germaniæ incendium. Eō enim
iterum venerat cum VVolfgangi VVerteri fratribus, Phi-
lippo & Antonio, nobilissimis Thuringis: quos & ipsos docti
viri passim sapientiæ atq^{ue} beneficentie nomine celebrant.
Hæc de Fabricij doctrina & noua dicendi facultate fama,
quam magnam fuisse ipse quoq^{ue} recordor, magis excitabat iu-
uenem Mylium. Itaq^{ue} non solum ad eius exemplum se compa-
rabat, sed etiam à populari consilium exspectare & petere
non dubitabat: cumq^{ue} nullum esse rectius experiundo compe-
riret, ab eo neg^o postea deflexit: neq^{ue} non inter eos ex talibus
principijs nata fuit amicitia, quam, quoad in viuis fuerunt,
religiose conseruarunt, missione litterarum & pluribus stu-
dijs confirmatam. Fabricius autem ille Chemnicensis qua-
probitate & Vitæ innocentia fuerit, cum ex ipso socero, tum
ex alijs accepi: qua doctrina, quantumq^{ue} dicendo & scribendo
valuerit, ipsius eruditæ & perpolitæ lucubrationes loquun-
tur: que omnibus de causis apud viros doctos in pretio sunt,
& locum suum inter melioris notæ superioris sæculi monu-

menta facile tuebuntur. *Vnde autem acceperit recte dicendi facultatem, duabus potissimum de causis referam. Grati*
enim esse debemus erga eos, qui talia nobiscum ingenij bona
communicant: dissent preterea plures, quid in hoc genere
quomodo sequantur: accedit, quod propagationis & conser
uationis politioris litteraturae historiam videre non ingra
tum nec iniucundum erit, ni fallor, viris elegantibus. Cui se
cus videatur, is lector mibi rogandus est, ut patienter acci
piat, si ordinar altius: nec tamen dicam nisi quea huc quodam
mmodo pertineant, ac si non prorsus ad hanc rem, à qua non
ab ludunt, certe ad illud saeculum: & cognosci absq; fastidio
possint. Fuit visitatum à pluribus iam saeculis, ut adolescentes
nostri, qui doctrinæ studia colerent, Alpes transirent, audi
tum doctos homines & visum Italianam, & ex equestri ordi
ne, & alijs fortunatores. Quidam perlustrata cultissima amœ
nissimaq; regione Europeæ domum redibant: alijs pleriq; iuri
civili incumbeant: pauci eloquentie & sapientiae studia po
tissimum colenda intelligebant: credo, vel quod exemplo po
tius quam ratione consilia ut plurimum dirigimus, vel quod
non appetet statim utilitas. Ita enim sunt ingenia hominum,
ut que certos honores & obium lucrum pollicentur, ea p̄e
alijs in pretio habeant & sectentur potissimum. Iis vero qui
toti in litteris sunt, & se sapientiae vel cultores vel etiam
professores profitentur, an venia tanti erroris dari debeat,
dubito: sed quid dicam? aut nobis inter nos in eodem peccato
facile ignoramus, amicum leniter offendere veremur, aut
iras eorum, qui populari eruditione quasi quoddam imperium
tenent,

tenent, metuimus, ut silentio premamus, quæ nos & trade-
re & tueri publica inbet utilitas. Bono tamen fato potius
quam consilio industriaq; hominum ferè omni ætate sunt, qui
sapientiam omnibus posthabitis colant & propagant: & ex-
oriantur heroum indeole adolescentes, qui cum, quæ alij tra-
dant, nec ipsi negligant, attamen diuinitate ingenij ad altio-
ra & prima illa studia adsibirant. Anorum memoria erat Vo-
laterris vir magnus & eruditorum sui sæculi facile princeps,
Raphaël Mapheus, qui deinceps Volaterranus usurpatus
fuit, singularis amicus Germanorum; nec sine causa: quod
ab ijs se præ alijs coli videret. Nam qui historia & varia bo-
na doctrina capiebantur, quotidie ferè ad eum diuertebant:
quod cum ex alijs tum ex ipsis posteris, familiaribus olim
meis, illic accepi. Erat alius patrum nostrorum memoria Pata-
nij Germanis & amicus & carus, Lazarus Bonamicus:
nostrâ verò Florentiae, Petrus Victorius: de quorum hoc
dixi sèpè, eumque omni occasione celebrabo ita, ut de me
multisq; Germanis meritus fuit. Hodie verò Antonium Ric-
cobonum in schola Patauina humaniorum disciplinarum pro-
fessorem Germani obseruant: & ille nostros complectitur.
Ex his philogermanis potissimum de Bonamico hic agam.
Erat Bonamicus omnino vir eloquentissimus: quod ex per-
paucis, que scripta reliquit, existimare facile est: & artem
dicendi tradebat nono modo, hoc est, veteri, & sapientibus
usurpato. Non enim particulas artis docebat, ut sophistæ, qui
ad promtam loquacitatem ducebant suos greges: sequebatur
Iosocatem, eundem & oratorum & dicendi magistrorum no-
bilissimum:

bilissimum : Isocraticis vestigijs postea à Libanium & paucos
præterea instituisse accepimus : eandem faciebant sapientiae
scholam, quam aperiebant eloquentiae : sapere docebant ; &
bonis moribus esse iubebant nobiles discipline sue alumnos,
antequam dicere conarentur : nec recte eum dicturum om-
nibus persuadebant, nisi in quo virtus esset, & virtutum
magistra consilijs mater, quam prudentiam nominamus,
que ut plurimum videt, quid in rebus recte feliciterque ad-
ministretur. Idem cum agere Bonamicum & sedulo moliri
viderent adolescentes nostri, & à viro humanissimo no-
stram gentem amari & magnifici sentireut, quid mirum,
si qui ei operam dabant ? & alios fuisse non dubito. Erant
tres è Saxonia nobili loco nati, Marchicus Eustachius à
Schlieben, Megapolitanus Theodorus Molzan, Pomer-
anus è familia Valdiorum, Iustus opinor: & equales ipsi & so-
dales, condiscipuli deniq; in studio illius regiae, quam dixi,
eloquentiae. Et si antea ibi in Latina eloquentia exerceban-
tur, tamen non minus in patria lingua diserti habiti fuerunt:
in qua eos itidem profecisse quid mirum ? Etenim ars dicendi
apud omnes nationes una est & eadem: nec aliter fieri potest,
si quidem nomen illud legitimè tueatur, & perfectionem su-
am obtinuerit. & illi se potissimum ad utilitatem patriæ com-
parauerant. Igitur præterquam quod primarijs legationibus
functi fuerunt, quisq; apud suum principem, etiam dixerunt
sententias in primo senatu: auctoritate valuit apud Electo-
rem Joachimum II. Schlibenus, apud Ioannem Albertum
Megapol. Molzanius, apud Philippum Pomeranum Gual-
dius.

dius. Cæterum aut ipsi Saxones sunt, aut certè Saxonie septemiero parent Misnenses. Est apud eos & Pflugiorum familia equestris primæ nobilitatis: & ex ea gente Iulius diuinus ingenio fuit educatus in litteris, eruditus ab erudito pueritiae magistro Petro Mofellano: cui quantum deberet, oratione sua, qua illum laudauit, testatum fecit. Idem Iulius cum audinisset Bononiae primum Romulum Amasæum, postea & eidem Bonamico operam dedit: & tandem huius admirabilis studij, quod erat sapientiae & eloquentiae, fructus cepit uberrimos. Utroq; nomine clarum erat viri nomen passim gentium: ipse acceptus regibus & Carolo V. imperatori sapienti, carissimus doctis per Europam omnibus: quod ego minus existimo quam alterū, quod esse magnū nemo neget, maximum adserant omnes boni, bene de patria deq; vniuerso imperio mereri studuit, ac monumentis ingenij, hanc suam egregiam voluntatem ac potius pietatem testantibus, sempiternae memorie nomen suum consecravit: quod ipsum quoq; maius est præmio, et si hoc etiam fauentibus bonis obtinuit. Praesul enim fuit Naumburgensis episcopæ, quæ summa est sacerdotalis dignitas. His tantis viris non erat genere nec opibus par, sed ingenio non inferior, Georgius Fabricius, & exquisita in colendis litteris diligentia forte vincebat alios. Non enim se parabat ad forum aut rempubl. sed ea sibi comparabat, quibus cum ipse potissimum caperetur, quod natura aliquos inclinat ad alia, interdum etiam rapit, tum aliquando & inscribendo & docendo uteretur; que uti sunt, ita nominantur studia humanitatis. Deprehenderat enim se natum ad

D

hanc

hanc otiosam vitam, nec ignauiae tamen subiectam, in qua
perpetuum nobis negotium est in educandis erudiendisq; ijs,
quorum deinceps aliquæ partes futuræ sunt in republ. Ille
verò neutro excidit. Et enim ingenij opibus onustus in Ger-
maniam reuertit, & ex intervallo locum inuenit honestissi-
mum, ut antè diximus. Potest enim quid sapienti viro ob-
tingere optatius quiete, ut simul idem & præsenti patriæser-
uit, & posteritatis felicitati consulat? Quod si populus, pra-
uus in pluribus existimator, amplum esse non existimat, at si
ad stateram veritatis adpendas, hac in re dignitatis esse plu-
rimum apparebit. De multis enim benè mereri, paruum
quiddam esse & dignitatis expers, nemo dixerit, cum illud
omnes agere & efficere videri velint. Ut autem in hoc ge-
nere superioris ætatis vel omnes vel plærosq; superauerit, non
puto reticendum, non solum ne merita laude fraudetur, sed
etiam ut non discant hinc nihil alij, quod rectè sequi possint.
Annis autem abhinc ferè centum, cum auspicio & opera po-
tissimum Roterodami elegantes litteræ in Germania siue
renatae, siue primum fate feliciter fuissent, passim scholæ a-
periebantur diuino consilio, ubi pueri litteras & linguis,
quibus illæ quasi arculis continentur, discerent. In tot ludis,
ut sit in rerum initijs, vix unum videres atq; alterum, in
quibus non pleraq; desiderares: quod vel qui eos munifice con-
derent, rei quidem magnitudinem, sed non æquè rationem in-
telligerent: vel qui teneram ætatem informarent, in plærisq;
alucinarentur. Id minus mirabimur, cum etiam hodie passim
in academijs publicis in tanta luce litterarum non pauca desi-
deren-

derentur. Nec enim dicam quod audiui queri plures, multa
in liberalibus disciplinis mutilari, multa penitus deprauari,
neq; earum nullas alicubi exsulare, vel quod adscitae neq; dum
sint, vel quod inde fasse imperio inscitiae iubeantur. In
ludis autem Misniae, præcipue dictis illustribus, adolescentuli
non plebeio more sed maiore cura & rectius educabantur. E-
am formam, qua tum non esset neq; forte hodie reperiatur me-
lior, siue commodior, emulati deinceps recte nec infeliciter
fuerunt alij. De educatione autem prima in litteris exstare
aliquid plenius hodie non abs re esse videatur, quod scholas
inferiores ex eo tempore non pauci magis corrupere, hi præ-
sertim, qui eas instar academiarum esse voluerint. Ad le-
ctionem autem, meditationem, & scriptionem hortabatur
ingenia Fabricius, nec inuehebat consuetudinem, quæ loqua-
ces forsitan aliquos, eloquentem fecit neminem: multò minus
alteram de rebus arduis altercandi, quæ honesto titulo dispu-
tationis venditatur. Sentiebat enim, quod ille quinquennis
silentij conditor, ad audiendum potius & discendum, quam
ad garriendum & contendendum adsuefaciendam adolescen-
tiā. Ad utramq; facultatem vt ordine peruenirent, & dis-
serendi & dicendi præcepta docebat. Iam habebant in ma-
nibus pueri probos scriptores Latinos, quibus addebat Ho-
ratium: ipse scribit, quotidie præelectos preter principem poë-
tarum, Hesiodum, Theognin, Phocyliden, nonnulla Isocratis,
Demosthenis, Xenophontis, Plutarchi. Nam perineptè &
prorsus inutiliter quidam discipulis sententiam ex media At-
tica, vt condimentum, apponunt: quorum ingenia quotidie

rectius alimentis Græcis pascerent. Hæc partim ex illius ludi alumnis, partim ex viri scriptis habeo. Minor & Vulgaria, quanquam & bona & necessaria, non commemoro: hoc non puto prætereundum, quod musicen & arithmeticen à suis magna diligentia exerceri voluit: quod illa ad humanitatem, hæc ad multa priuata & publica negotia ingenia præparat. Intelligo, vnde cum venia digressus sum, & paullò tamē longius, quād me facturum putabam, mihi redeundum ad eum, cui destinatur hæc opera. Etsi autem adolescens Mylius nec tanta diligentia fuerat institutus, quanta postea fuit adhibita; tamen felicitate ingenij & acrisiendi studio facile perrupit, & in plærisq; ipse sibi dux fuit, aliud ex alio, plærq; ex libris accipiens, ut certa & minimè vacillantia fundamenta, sed potissimum eloquentiae iaceret. Ita non inaniis Lipsiam contendebat: ea erat in proximo: nec erat melior academia, bono semper fato vsa, seu potius consilio. Non admiserant enim viri docti, nec hodiè admittunt minutam illam & obscuram eruditionem: quidquid autem est friuolæ nugacitatis, & somnia arrogantium, inuentumq; falsæ sapientie pollicitatione delinientium sophistarum procul extirinant. Faciunt idem & plærq; academia: & hoc ipsum si rationes tam euidentes non apparerent, sequi cæteras tamē oportebat: quæ non faciunt, in suspicitionem vel imperitiæ vel oscitantiæ merito veniunt. Fæces enim ibi & tenebras ferre, nefas putandum, ubi lucem veritatis in omni genere splendere oportet. Veteres & cum primis principem peripateticorum colunt & interpretantur probæ academia:

quod

quod qui vitio vertit; aut calumniatur factum, aut non intelligit. Huic nihil respondeo, quod neq; hoc intelligat: nec ipsi debeo, quia quod intelligit, repudiat. Sed ne quem in fraudem inducat, detegenda est *fraus calumniæ*. Non enim Aristotelem colimus, sed veritatem. Ille autem vir veritatis *indagator solertissimus*, *repertor felicissimus*, & *dilectissimus interpres ab omnibus*, qui aliquid saperent, initio agnitus, & semper habitus fuit: atq; iccirco si quis ex eo tempore aliquid attulit rectius, ei cessit optimus quisq; Aristoteleus: ei cederet, & insuper gratias ipsem ageret. Nec est enim quasi peripateticorum coniuratio, nisi nos in veritatem sine pro ipsa conspirasse dicas: quo nihil esse potest sanctius. Horum igitur sine ipsis veritatis sectator erat adolescens ille Mylius: & audiebat, ex quibus se proficeret intelligeret, cum subtilest etiam disciplinas, tum eas, quæ ad viuendum dicendumq; facerent. Huc enim ipse toto animo contendebat possimum. Quo plus in arte dicendi proficeret, hoc accuratius omnia inuestigabat, quæ eodem pertinere iudicaret: neq; de hac diligentia remisit vñquam, vt semper ea, quæ potissimum teneret, in quibusq; non vulgo, sed *dilectissimis* præstaret, discere videretur. Multum præterea in altera operæ ponebat, quæ *indagatrix* & *lima* veritatis habetur: sed in huius ea parte erat occupationis, que ad differendum spectat. Nam & de omnibus sciscitari ex alijs, & doctos audire ipse gestiebat, & ad eloquentiam conferre id studium intellexerat, & rectè credebat. In hoc genere & alijs quæ intimæ philosophiae essent, sibi plurimum profuisse industriam Men-

reri, viri doctissimi scepè prædicabat. Cæterum, quod non sequentes litterarum cultores facere animaduerti, ut ex doctis vi-
ris unum præ alijs deligant, quem sectentur, cuiusq; consilio v-
tantur: idem & ipse cogitabat, & facile inuenit, quem ve-
luti principem siue ducem sequeretur in omnibus. Erat autem
magnus ille Camerarius, magnus profecto, siue viri virtu-
tem, vitæ granitatem & consilij copiam, siue multiplicem bo-
num doctrinam spectes, bene de iuuentute nostra, bene de lit-
teris in vniuersum ad posteritatem meritus: qui quantus vir
fuerit, præclara ipsius ingenij monumenta docent: atq; eum
etsi tentauit inuidia, freta inscitia & arrogantia, & male-
dictionis; (est enim pestis illa conflata ex malis pluribus) ta-
men nec innocentia malum creauit, nec potuit, & veneno suo
ipsa extincta est. Ab indoctis enim, imperitis, & malitiosis
male audire, si quid incommodi habet, id commodo singulari
compenses, dummodo à spe etatis viris bene audias. Quo ego
me exemplo consolor, quoties vapulo voculis improborum,
non aliam ob caussam, nisi quod obsum nemini, & de alijs be-
nè mereri studeo. Nec verò omissione officij & incuria boni
publici vir bonus inuidiam auertere malit, quam ipsam vir-
tute confutare: quod institutum qui non deserit, is demum
de tali tantoq; monstro triumphum agit. Camerarium Mylius
sibi delegerat, eum audiebat sic, ut eius consilio maximè vte-
retur, eiusq; simul vestigij singulari studio insisteret. Atq; y
demum sunt magistrorum optimi, qui cum, que docent, faci-
unt, alumnos non minus factis suis, quam oratione erudunt,
atq; perficiunt. Quod plerisq; negotium est, paucisibi pollice-
ri pos-

ri possunt, breui tempore plurimum non in uno, sed in multis
doctrinæ generibus profecit: tanta erat in eo vis ingenij, &
quanta esse poterat diligentia in iuene, in quo neq; vires neq;
alias corporis dotes desiderares. Tum verò visum fuit & ipsi
& vni alteriue æqualium, vt sunt primæ ætatis cupiditates
quædam, etiam honestæ: visum ipsis fuit aliquam à studijs
vacationem sumere, & transito Albi, quid rerum ad septen-
trionem geratur, videre. Acceperant enim sitas esse in litto-
re Baltico vrbes visu dignas, nobiles, amplas, opulentas, po-
tentes, non minus bonis legibus, quam rebus ad bellum necef-
sarijs ornatæ, quæ videlicet classem sæpè aluissent: eas vi-
dere auebant: vna iter ingressi in primam Megapolim veni-
unt bono potissimū Mylyjato: siue illuc iter erat, siue declina-
bant ad oppidum, cui Strelitio nomen: ibi tum aula erat, &
ipse dux Ioannes Albertus, qui patre defuncto imperium ad-
ierat. De quo multa dicerem, sed eum in funebri oratione
copiosè laudaui, et si de eo multò plura verè etiam prædicari
possint. Vnum hoc loco repetere me oportet, quod cum puer
attigisset litteras, eas pluris fecit adultior. Videbat enim
litteras non ornamento solùm esse principi, sed etiam necessa-
rias: & quæ ex ijs regiae essent, intelligebat. Ad eius prin-
cipis aures fortè delatum erat aduenisse iuuenem & elegan-
tia morum singulari præditum & admirabili facundia: vi-
deri enim loqui verbis lectis & sententijs bonis. Fortè ade-
rat Ioannes Lucanus, Cancellarius, vir ipse doctus & diser-
tus & comis, quo nemo magis ingenij faueret: quæ alius re-
ferret absq; inuidia confirmabat. Itaq; hominem & videre

& au-

Gaudire voluit princeps. Ut vidit, ut audiuit, exspectare iussit, velle se cum eo agere: id ille gaudere, gratulari sodali comites. Sperabat enim fructus certos laborum, quos ipse litteris dulces quidem sibi, sed perpetuos tamen impendisset: nec spes eum defecellit. Denig. Suerinum una venit, qui locus est aulae ducum Megapol. alter præcipuus: arx regia in lacu sita, ad ripam oppidum, circum fundi feraces & silvae, nihil amoenius: lacus latus p. V. M. longus p. XXV. m. pulchritudine & piscatione gratus est & incolis & hospitibus, cœlū salubre. Amo, inquit princeps, litteras, Andrea, ut vides, & scriptorū electione me oblecto. Videor enim mihi ex ijs utilitatis capere plurimum non solum ad disertè loquendum, sed etiam ad consilia, quibus opus est in republ. iuuenis sum, & totos dies interpellor, nec per ætatem nec per negotia diligere queo, quæ potissimum legam: nec paucula occurrunt, in quibus hæream. Hic utar opera tua quotidiè: tu disifice, quæ cum fructu legam, deinde mihi salebras expedi: immo primis mensibus audiam te potius & legentem & nodos dissoluentem dubios: in primis hoc te scire volo, me orationis puritate valde delectari: in quo genere & ipse velim proficere, si res grauiores sinant. Accepi enim, cum cæteris rebus principem esse splendidum conueniat, cum primis ei conuenire sermonis elegantiam, non inanem tamen illam aut leviter tintetam colore aliquo sapientiæ. Ita, quæ fuit nativa principis comitas, affatus iuuenem, pauca subiecit de referenda gratia, quæ ex eo tempore prolixè semper praestitit. Submisse respondit Mylius, ut hospes insolens consuetudinis aulicæ, intrepide

trepidè tamen, ut non defectus animo, & edoctus, quid dicto factōq; opus foret. Quoties principi otium erat, quod parabat sibi quotidie, sic ut nihil adimeret necessarijs negotijs, nec voluptatibus deditus, venationi interdum aliquid tribuens; præstò semper erat Mylius. Hic verò, floriferis ut apes in saltibus omnia libant, itidem cùm ex alijs scriptoribus, tūm ex primis professoribus sapientiæ omni studio colligebat & depromebat aurea dicta,

Aurea perpetua semper dignissima vita,
ut est apud eundem poëtam: sine potius ad vitam mortalium
rectè colendam cum primis utilia & summoperè necessaria.
Erat omnino ex re, & non alienum, hoc disciplinæ regiæ exemplum illustrare copiosius: sed quia eam rem passim accurate tractavi, ero brevior. Quidquid habet Homerus, quidquid Latinus poëta, quod ad vitam humanam expoliendam, ad rem publicam constituendam conseruandamq; faciat, quidquid acceptum à Socrate Plato & Xenophon, quidquid ex intima ratione erutum Aristoteles, quidquid veterum fidus interpres Tullius, quidquid Dion & inferioris saeculi scriptores lectissimi; ea omnia ipsi plures etiam annos manibus versabant, quotidie sermonibus usurpabant, ut in animo principis radices agere facile possent & fructus ferre publicè. Tulisse autem uberrimos, testatur vniuersum littus Balti-
cum: & id in exsequijs à me satis est demonstratum: multa deniq; hic afferam, quæ eodem pertinere indicabo. Multis non agam de inferiore studio, quod est Latinitatis: sed ei tamen, quod satis erat temporis operæq; destinabant: deniq; hoc

E

sine

sine priore nullum, illud absq; hoc imperfectum esse sentiebant. Quo autem princeps plus proficere, hoc impensis litteras colere, etiam litteris præditos amare, ingenij delectari, & ea fouere munificè. Dolebat, non esse plures in sua ditione, varia bonaq; doctrina politos: optabat, ut nascerentur, & quomodo id fieret, videbat, nec non inueniebat rationem, qua id fieret. Nec enim ab instituto deterrebatur, quod plus ex arca esset depromendum. Qui enim parcit sumit; is neq; si quid operæ pretium sit, seruet, nedum aliquid egregium de integro molitur. Quas autem ille scholas vel considerit, vel instaurarit, dicetur in loco. Cum vero fratrem germanum tenerum adhuc principem, Christophorum (Carolus enim fratribus natu minimus apud matrem educabatur) heroicæ educationis participem esse, quam primam & maximam etiam regum filijs felicitatem duceret, admodum velle; etiam hoc negotium mandauit suo doctori, donec ipsi magister inueniretur idoneus, qui inuentus fuit ex breui intervallo Fabricianæ scholæ alumnus, vir valde probus & eleganter doctus, VVolfgangus Leopoldus. Vtramq; enim laudem ex hoc munere & reliqua vita, que ipsi breuior contigit, quam expediter pueritiae, apud Megapolitanos reportauit. Erat tum multis præterea bonis carius Mylius: non dico, sine inuidia: quia enim? cum ea pestis tenacius adhæreat felicitati, quam umbra corpori sole claro. Tamen plures iuuenem gratiosum, nec minus corporis quam animi dotibus præditum, amabant, ut cuius ille cunq; viri primary filiam ambiret absq; metu repulse. Erat Suerini industrius, fide præstans, & pollens confi-

consilio, ut captus est patrum familias, Balthasar Rotermundius. His nominibus cum ducibus, Henrico & Alberto, qui simul legitimo imperio Megapolitanos regebant, innotuisset, quæsturæ munus ipsi demandarant: id tum quoq. gerebat, cum Ioannes Albertus cum patruo Henrico rem Mepapol. administraret. Sic autem erat ille vir non ad fucum sive ad mores corruptioris sæculi factus, ut ex multo meliore migrasse videretur: levitatem in nouatione vestitus & quidquid esset talium ineptiarum, que si capitalia non putantur, sunt tamen vitiorum sive errorum quedam signa sive seminas cum stomacho accipiebat: quod simplex erat in sermone & actionibus, id & probabat & sequebatur, iustus & verax, & omnium vitæ rationum minimè expers. Itaq. in litibus spongiis apud plerosq. proficiebat, qui cum, ut studio neminem offenderet, ita nemini præter æquum placere studeret, incorruptum se omnibus præstitit, & facile persuasit, æquum esse, quod determinaret. Et virtus igitur viri & gratia, qua in aula, innocentia meritoq. suo, valebat, mouerunt populum Suerinensem, ut & ipsum in senatum legerent, deniq. pri-
mum magistratum deferrent: quem honorem ita gesse, ut priuatum ex bonis neminem laeserit, & communi bono semper prospexerit. Liberos suscepserat plures, fortunârum autem quæsierat sibi, quantum expetierat: nec vero expetierat alia, quam quæ & iuste absq. iniuria possideret, & ut esset in usus necessarios, & si forte quid præterea. Elisabetham primam natu trium filiarum nuptum dederat Joachimo Steino, quo primo œconomo familiæ princeps vtebatur: is gr-

uiore ætate in patriam, ubi fundum paternum coleret, se re-
tulit: ea est Fürsteberga oppidum, non longè situm ab Haue-
li fontibus, qui non ignobilis & piscoſus admodum, transiens
in Marchiam, in Albim se effundit. De secunda paullò pōst
dicam. Non debo enim præterire, quis tertiam, cui Hele-
næ nomen erat, duxerit, quando eius quoq; maritus laudem
ex doctrina reportauit immortalem. Is erat Tilemannus
Stella, Sigenus, mathematicis disciplinis excimie eruditus.
Et hunc ipsum autem secum habebat, & quidem etiam libe-
raliter, idem dux Ioannes Albertus. Namq; & hoc studium
exemplo veterum regum colebat, ut tamen partem reipubl.
nullam negligeret, sed cùm alijs conuinia agitarent, aut in a-
lea essent, tum ille Arcturum pluviiasq; Hyadas septemq; trio-
nes, & reliquum stellarum exercitum contemplabatur. Hinc
sinceram voluptatem hauriebat, quæ nos ad vniuersitatis au-
etorem & custodem dicit: & hanc inde præterea utilitatem
capiet, ut hæc inferas terrarum sedes distingueret, &
certius animo videret: quod in historia necessarium esse in-
telligebat. Natu minima Rotermundiarum erat Margarita,
laculeuta forma, magni ingenij, bonæ famæ Virgo: dubium,
priorne banc ille an illum hæc delegerit: de amore mutuo su-
bito constitit vtrinq; antè, quam de nuptijs ad alios vel apud
alios verbum fieret: misit iuuenis, qui ambirent: delibera-
tum fuit non multos dies: dubitandi cauſæ nihil apparuit:
petenti deſponsa fuit virgo à parentibus, factæ nuptiæ non
mediocri apparatu, sed ſplendidè faciente ſumtu nuptiarum
duce Ioanne Alberto. Etenim inter cetera beneficia hoc
quoq;

quoq; benè de se meritum clientem grātē admodum afficiendū censuit, & ipse corām sponſis honorem habuit: & eidem sacro nuptiali intererant, Ioannis Alberti patruus Henricus, quamquam graui ætate: excederat enim septuagesimum biennio: Una cum coniuge Ursula, Magni ducis Saxoniae filia: Georgius iuuenis, & Christophorus adolescens, fratres, & Virgo soror Anna, quæ nupsit deinceps primo Curlandiæ duci Gothardo. Non solum ibi abundè erant, sed magnifice administrabantur omnia: erat condimentum epularum nuptialium omnis generis Musica: nec non ibidem, quod solene est, ubi apparent principes cum satellitibus, tubæ & certaminum equestrium ludi plusquam ludicri. Nec conspectum Martis horrebat Phœbus, & Musæ cultori suo præsto erant. Namq; ſponſo gratulabantur cum alijs amicorum quiq; doctissimi, tum per litteras ſenex Bordingus, &, cuius aliquoties mentio facta, Fabricius, versibus non ita multis, at bonis, quas ob elegantiam eruditus lector cognoscet cū benevolentia:

Iungitur claro iuueni puella
Clara: ſpectatæ pietatis ambo,
Inq; flore æui melioris ambo,
Ambo ſolamen patriæ & fuorum.

Ore facundo Mylius, vetuſtum
Exprimit lingua Latium expedita:
Ille amicus principibus fidelis,
Ille patronus ſtudijs perennis,
Nominis fama boreale littus
Implet & ſep̄tem meritis triones.

Ore laudatas quoq; Margareta
Gratiā tincto ſuperat Sabinas:

E 3 Sic

Sic manu lanam tenera elaborat,
Coniugem ut regis superet Pheræi.
Plus tamen virtutis honore fulget,
Et verecundi specie decoris.

Angeli cingant comites, & adsint
Faustitas, concordia, pax, pudorq;
Cunctaq; optatis potiora. Clara
Iungitur claro iuueni puella.

Felix autem fuisse coniugium, & facundum, & longi tem-
poris, ex ys, quæ referemus, patebit. Cæterum ubi principi
etiam in negotijs apparuit Myly industria, pluris eum fecit,
capitq; eius cum consilio, tum opera, & in republ. vti: nec
ille, ut maluisset, declinare poterat, quod humanus & bene-
ficus princeps velle se ostenderet, non imperaret: neq; tamen
non hoc satis imperij esse, & ex re videbat, & ex almino So-
cratis didicerat. Lectus deniq; in aula senatum, ab omnibus
turbulentis consilijs semper absfuit: si quid sinistri oriretur,
de eo amoliendo cogitabat, & ut cogitarent sedulo, collegas
obsecrabat: si quid boni reipubl. difficeret, principi disertè
exponebat, atq; ita demum se ei prodefesse arbitrabatur, quæ e-
runt eius generis, facile ipse persuadebat. Ipse enim princeps
iudicabat id sibi optimum esse, quod populo Megapol. maxi-
mè conduceret: in vniuersum ita sentiebat, principis esse,
quidquid calamitatis & aduersi sit, à suis auertere, quidquid
boni habeat & inueniat, in eos conferre labore etiam suo ma-
ximo. Ut suarum gentium animos, mores, & omnem vitam
deniq; magis expoliret, iecirco primum ludos pueriles, qui
non ita pridem constituti passim per oppida fuerant, cùm su-

perioribus saeculis fuissent rariores, emendauit, plures consti-
tuit, & ad instaurandam academiam animum adiecit. Sed
de hac dicetur infra explicatus. In utroq; primæ partes fu-
re principis, secundæ Myly, siue huic, siue illi de re litteraria
primum in mentem venerit: certè quòd Mylius principem
nouis rationibus confirmarit, opportunè monuerit, & in ne-
gotijs excitarit, testabitur vltro, cui de rationibus Megapoliti-
tanis illius temporis constititerit: sicut neq; ego, & ducem Vl-
ricum cum fratre primas, & alios bonos viros secundas par-
tes vnd cum Mylio sustinuisse, insitiari debeam. Quod autem
ad ludum illustrem, quem Suerini aperiri insit, de hoc fortè
non prius deliberatum, sed prius perfectum fuit. Agebatur
enim negotium in conspectu principis. Placuit tamquam no-
ui ædificij forma Fabriciana, qua commodiorem Saxonia
non viderat: & sunt ibi pleraq; rectè instituta. Etenim pue-
ros in utraq; lingua informari rectum est, itemq; ad scriptores
legendos & rectè intelligendos adduci, teneri diutius in poë-
tis, non solum, quòd versus barent in memoria, sed etiam,
quòd animi hac via ad rectæ vitæ rationem præparantur, si
eorum sit doctus interpres: nec arceri ab hoc genere, si inge-
nia eò declinent: ad puram orationem non minus, quam ad e-
legantes mores adsuefieri: in scribendo exerceri pueros pro-
ætatis captu: doceri præcepta non multò plura, quam nece-
saria ad dicendum: quæ ad differendum faciant, pauciora: i-
psam facultatem & usum relinqui philosophiæ magistris.
His omnibus parantur ingenia ad percipiendas ubiores do-
ctrinas, non depravantur opinionibus, ut queror passim fieri,

& mo-

¶ moneo, ut à talibus sibi caueant, qui nec linguas docent,
¶ adolescentiam abstrahunt à bonis scriptoribus, ¶ cuiq; fa-
ciunt potestatem arbitratu suo loquendi ¶ scribendi: ita fie-
ri oportet, ut ipsi se inter se non intelligant, nec ex interuallo
quis semet ipsum: illi sopistas pro philosophis ad pueros lan-
dant, illos antistites sapientie faciunt, his vix locum conce-
dunt in imis sub sellis: ipsi opinionum, quas dixi, turmas, ut
ita dicam, cogunt in animos pueriles, quibus fascinati, nec ve-
ras sententias agnoscere deinceps queant, nedum audire ¶
cognoscere desiderent. Inde nasci, nisi mature corrigantur,
non solum rei litterariæ, sed etiam ritæ communis peccates ne-
cessè est. Cæterum ne à probo exemplo quasiq; archetypo lon-
gius declinaretur, acciti fuere è ludo Misnensi, qui illam ra-
tionem ¶ probè tenerent, ¶ in ea diu cum tono pueritiae fa-
tissent versati. Aduenit Matthias Marcus, qui ludum pri-
mus aperiret ¶ constitueret. Erant in Dabercusio, hoc enim
illi fuerat nomen semper in Misnia: hoc ei mansit perpetuum
in Megapoli, à patria petitum: erant in eo omnia eximia, que
ad id negotium pertinerent. Et enī artem tenebat erudi-
endæ pueritiae, ¶ industrius erat, ¶ laborem perpetuum fa-
cile tolerabat, nec aliud noctes diesq; agebat, ¶ voluptatem
cum è discipulorum profectu, tum è suis molestijs capiebat:
deniq; satis principi facere in omnibus gestiebat: ¶ audierat,
principem in animaduertendo acrem esse, liberalem in remu-
nerando. Collegas habebat plures, qui officium facile face-
rent: ante alios doctissimum virum, Bernhardum Hederi-
cum, euocatum ex academia ad Albim, ¶ ipsum scholæ Mis-
nensis

nensis alumnū, à Fabricio item & Dabercusio educatū,
mīhi ab adolescentia cognitū, & amicū: doctrīna & vo-
lūtate illī pārem, in quibūsdam alijs absq; reprehēnsione
dissimilem. Nam quod ille ētate prouectior, & usū confir-
matiōr, auctoritatē & seueritatē urgebat, idem hic iuuenis
primo laborū huius disciplinæ aditu comitate agebat, & in-
dulgentia perficiebat. Ita namq; primæ ētati indulgebat, vt
ne petulantiae fenestrā aperiret. Nec minus igitur Hede-
rico dictō audientes erant, quām Dabercusio. Itaq; cūm ille
iam consenesceret, & interdum incommodius haberet, soce-
rum gener operis suis subleuabat, eiusq; vices vltro potius,
quām rogatus monitūsue gerebat. Idem verò illo vita fun-
cto, pari cum utilitate, nec minore cum laude, hodie idem
gymnasium regit. Fundator autem siue conditor noui ludi
et si ad bonitatē respexerat, non ad frequentiam, tamen vi-
ri nobiles & fortunati iam Suerinum mittebant filios, pri-
mū Megapolitani, quibus paratum erat hoc beneficium: de-
inde non solum ex vicinis locis, sed etiam ex Borussia & Po-
lonia. Fama huius ludi illō citius peruolarat, quod princeps
filiam Alberti ducis Borussorum babebat in matrimonio:
quod item sep̄ legatos in rebus magnis mittebat ad Sigis-
mūndū II. regem Poloniæ, itemq; regij legati aliquoties
Suerinum veniebant. Ita factū fuit, vt & equestris or-
dinis viri filios ad Dabercusium mitterent ē media Polonia.
Nec autem quemquam fugit, vt Latinis litteris & eloquen-
tie studio Poloni capiantur: nec mirum, cūm huius ibi usus
maior, & proposita sint prima disertis præmia. Itaq; cūm in-

F

stitu-

stitutum suum probari princeps animaduerteret, fecit alia,
quæ ad rem facerent. Ex omnibus referam, quod non quiuis
satrapa probet: sed res tamen nec indigna principe, quam fa-
stuosus forte despiceret, sicut in vniuersum pleriq[ue] litterarum
cultum: digna, inquam, principe, boni[us] exempli est, & ha-
bebat ille exemplum ex veteri seculo regium. Quod enim Ca-
rolo M. fecisse accepimus, ut Lutetiae aliquando inspiciens
discentium studia & prospectus, alios reprehenderet, alios col-
laudaret, alijs præmia designaret: id singulare factum po-
tentissimi & sancti regis imitatus, ex intervallo descendebat
Ioan. Albertus in ludum litterarium, ut inquireret tam in te-
nuum quam in fortunatorum mores & prefectus: Valde a-
mabat nobilitatem, sed mirificè fauebat virtuti: qui ingenio
& diligentia plurimum profecissent, eos ornabat & oratione
& præmijs. Erat igitur id quasi certamen litterarum, ex
quo cum quisq[ue] sibi victoriam speraret, nemo non cursum in-
tendebat in eo spacio. Sic excitata inter discentes æmulatio
non parum promouit negotium. Breui igitur ex ludo prodie-
re plures, qui porro in academijs perpoliti usui essent publicè.
Ab eo initio equestris ordinis Megapolitani plures adeò co-
lunt litterarum studia. Quod cum videret princeps, maiorem
ex instituto suo voluptatem cepit, & magis urgere caput al-
terum consilium de instauratione academie, quæ aliquot iam
sæculis minus floruerat. Id euenerat ex graui quadam con-
troueria illo tempore inter duces & urbem orta: ipsam hi-
storiam relinquo: quam si strictim persequar, longior omnino
sim, quam huius loci angustiae ferant. Tali statu academia
flo-

florere minimè poterat, quæ partim à principibus partim à
republ. penderet. Relinquebatur, ut hodie alibi quoq; siue
incuria fit, siue hominum discordia, illius nomen, siue quædam
imago, ut non penitus sublata iaceréne videretur: omnis erat
penes senatus professores dignitas, quam temporibus magis
quam bono iure teneri cæteri aiebant, & vix negare quis-
quam audebat. Etsi hoc principes tulerunt, & hanc scio qua
animi æquitate, adhuc ferebant, quod ipsorum maiores,
duces Ioannes & Albertus, & simul senatus Vrbis, anno an-
te eum motum, CXLI. academiam condidissent; tamen neq;
hoc suum ex potiore parte opus negligendum existimarent.
Fuerat autem huius optimi & admodum moderati consilij au-
ctor Ioannis Alberti patruelis dux Magnus, Henrici F. ap-
primè doctus princeps & eloquens, incredibili probitate, sed
infirma valetudine. Cum enim esset episcopus Suerinensis,
ad se hanc curam potissimum pertinere rectè arbitrabatur,
multoq; plura hac in re effecisset, si fuisset superstes. Tamen
& alios & Arnoldum Burenium ibi docere iusserat: de quo
viro sœpè à me dictum fuit, & hic locus postulat, ut pauca i-
tem referam. Docuerat Magnum Burenius, & tantum prin-
cipem fecerat: atq; ita res docuit, quantum litteræ ad indo-
lem heroicam conferant: quarum secundum illam aut prima
vis est, aut secunda, citra controuersiam. Namq; ante omnia
affuetatione opus, quæ sine præceptis nunquam est, cum co-
pia præceptorum aliquid perfectius generet: quod rectè præ-
dicatur de litteris. Idem Burenius docebat poste à alumni il-
lius sui beneficio & iussu publicè & Græcas & Latinas lit-
teras:

teras: hoc est, explicabat Tullium, & cum alijs sed potissimum de vita & moribus libros Aristotelis: detestabatur aliquorum imperitiam sive malitiam, qui pueros arcerent a limpidis musarum fontibus, & deducerent ad lacunas parum salubres. Faciunt autem hoc, quod vel ipsi in litteris ducti fuere perperam, vel quod alijs subinuident, quae ipsi non habent in bonis: propterea credo, ut soli arcem sapientiae teneare vulgo videantur: atq; hoc ne scriberem quidem, nisi huiusmodi inuidiam cum ambitione admodum ridicula coniunctam, in uno atq; altero deprehendisse. Idem priuatum plus agebat, noctes & dies bonam operam educationi iuuentutis nauans: non patiebatur ruere adolescentes, quo vellent, coercens ratione petulantiam: iubebat discere, quae potissimum oporteret. Hoc ille agebat neglecta re familiari, quam omnem diligentie & fidei vxoris committere necesse habebat. Nec enim è discipulis quaestum faciebat sophisticum in morem: parentes si quid largirentur ultro, in eo præter signum grati animi vix quidquam videres. Referrent pleniorum gratiam multi, si quantum boni in educatione & doctrinæ communicatione esset, intelligerent: quae imperitia omnium est, qui nec litteras nec magnam virtutem adepti fuerunt. Ex optima illa & vera fama Burenio multi filios in disciplinam dabant, atq; hoc qui fecisset, is ys bene consuluisse non falso credebatur. Senex iam erat Burenius, quando iuuenis Chytraeus accitus fuerat, quem principibus Melanchthon diligenter commendauerat. Et Chytræi verò magnum nomen fuit, & hodie est per Germaniam. Aliquot annis post, sub id tempus,

tempus, quo ego veni in eandem academiam, qui est annus
XXXII. agebatur magno studio, ut paribus aūspicijs, ut con-
dita initio fuerat, sic iterum constitueretur academia, nec
plus esset dignitatis reipubl. professoribus, quām principum:
id quod & æquissimum plerisq; videbatur, & ad salutem a-
cademiæ spectabat. Nec erat hoc solum, sed & alterum agen-
dum, ut qui numero responderent professoribus reipublicæ,
annuas mercedes haberent certas. Nam primi redditus quo-
dam illius reipubl. calamitoso statu, quando summa quoq; erat
academiæ & vrbis dissensio, perierant: id olim quemadmo-
dum euenerit, absq; superiorum temporum longiore historiæ
explicari nequeat: attulit nouam difficultatem, quod cùm
de redintegranda academia deliberaretur, plus quām duplo
maiora essent pretia rerum, quām fuissent olim, quæ mirum
quantum ex eo tempore porrò creuerint: sed tamen & consi-
lio prudentum & perpetua principum beneficentia superata
fuit omnis illa difficultas. Vtrum fuerit difficilius ad perfici-
endum, nescio dicere: uno tempore vtrumq; perficere fuit
admodum graue. Quibus omnia debentur, sunt principes fra-
tres germani, Ioannes Albertus & Ulricus: quibus res cor-
di esset in aula, erant Ioannes Lucanus Cancellarius, &
Andreas Mylius: quorum ille auctoritate valebat, hic gra-
tia: ille negotium tractabat, hic, ne iaceret, vigilabat. Nec
debetur nihil gratiae Iacobo Bordingo & Davidi Chytræo,
qui monere & obtestari tum principes, tum quotquot aliquid
ad institutum facere posse viderentur, non definebant. In-
uenta fuit ratio in vtrög, ex quo negotium geri cœptum fue-

rat, diebus non ita multis. Et principes enim tum boni publi-
ci tum sui iuris conseruandi gratia instabant, & molestia non
leui leuari desiderabat senatus, præsertim cum ciuitas tum,
ut aliquoties antè, intestinis malis tumeret. In capitibus
conventionis potissimum fuit, ut pares essent dignitate pro-
fessores, ut in senatum academiæ totidem ex uno collegio le-
gerentur, quot ex altero, & vicissim magistratum gererent,
qui penes professores ciuitatis diu fuerat. Prorogatus fuerat
magistratus tertium Laurentio Carcouio. Is erat patritiæ
familiae, & iurisconsultus primi nominis. Vixit autem ad
eum annum, quo à meridie veniens morbus epidemius plures
orbis partes, ut ipsi quoq; mihi affirmabant, qui ex longin-
quis regionibus, & ut vulgo loquimur, ex nouo orbe altero
anno appulerant, infestabat. Ea lues & Carcouium sustulit,
tum quoq; magistratum eundem gerentem, anno à constituta
concordia decimo septimo, idq; ultimo primi magistratus,
quem tum quoq; suffragijs legitimè latis inierat, die. Cedente
illo primus theologus, principum professor, academiæ rector
designatus fuit: eaq; vicissitudinis ratio seruatur in bunc di-
em. Conglutinata fuit ibi tum concordia, siue potius facile
coaluit inter docentes, qui & docti & boni viri essent, & ab
omni similitate & inuidia & ceteris, quæ animos mortalium
discindunt, abhorrerent. Intelligebant enim, si quid secus
fieret, non solum fieri iniuste, sed etiam tum publicè obesse,
tum quoq; euertere vel perturbare rem cuiusq; familiarem.
Ita autem coniunctissime ad annos triginta viximus, ut alijs
academijs exemplo fuerimus: de qua laudabili conspiratione

& no-

& nobis inter nos incunda & publicè salutari & scriptis &
sermone ad alios sèpè prædicauit: nimirum quia ut nibil salu-
tarium, ita nibil rarius. Nec vero ibi non in quolibet disci-
plinarum genere viri præstantes docebant, sic ut mediocri-
bus ipsi locum relinquenter, & hi illis minimè inuidarent.
Alterum est de munificentia principum. Vnde enim honestæ
mercedes soluerentur, promiserè statim prolixè, & præstite-
re liberalissime. Quod enim in primis rerum initijs fieri con-
suevit, id & in earum instauratione fieri non mirum, quando
ea sunt quasi altera initia. Etenim instaurator secundus esse
fundator videri potest: & fit interdum, ut hic illius benefi-
cium nculo superet: fit autem, ut non omnia subito, quibus o-
pus sit, animaduertantur, quæ animaduersa tamen deinceps,
minimè negligantur. Hic si quid deesse iudicaretur, ratio-
nem deinceps habebant academiæ principes: academia, si
quid opus erat, (decesserat enim *Lucanus*) compellabat eius
successorem *Henricum Husanum*, cui præter scientiam le-
gum eloquentiæ & prudentiæ ciuilis laudem, quæ tria animi
bona in uno haud facile reperias, rectè, ni fallor, olim iam
tum vita functo tribui. Noueram enim virum ab adolescen-
tia, donec in viuis ille fuit, eiusq; industriam in magnis rebus,
quas gereret, & principes perspexerunt & respublicæ. Hu-
sanum igitur compellabant & *Mylium*, qui & vellent & pos-
sent in re litteraria promouenda plurimum præ alijs: quan-
tum præstiterint, docet epistola, qua tum utriq; exquisitis
verbis publico nomine, ut præclarè de academia merentibus,
gratias egimus. Exempto è vita mortalium duce *Ioanne*.

Alber-

Alberto & consiliarijs, quos dixi, facit dignum bono principe dux Ulricus, rem promouet Bordingus Cancellarius, qua fide illi fecerant, optima. Ex ijs, quæ exposui, apparet, quid cuiq; debeatur in hoc negotio: multumq; adeo, aut ego valde fallor, Mylio: quem tamen laudo, vt nemini suas laudes derogem. Quantum boni ad rem publ. conferat, qui litteras strenue adiuuat, pauci perspiciunt, nec alij ferè, nisi quos litteræ ad vitam colendam & administrandam perfecerunt: in quibus profectò neminem esse censem, quin à consilijs calidis & periculi plenis & sœpè grauia incommoda communeq; exitium importantibus toto animo abhorreat. Huic generi quies & salus publica, & quæ ad utramq; faciunt, proposita. Si quisquam autem, vt plærq; aulæ & prouinciae senatores, violenta quantumuis specie iusta detestabatur: quod tum etiam omnibus innocuerit. Simul oriebantur inter Danos & Suecos bellum, & seditio Rostochij: illo grauiter collidebantur vicina duo regna, ex hac nascebatur & virbi & prouinciae plurium annorum calamitas. Illud hoc non pertinet, nisi vt tempus lector meminerit. Ut autem interdum è scintilla ingens exarsit incendium, ita è leui sœpè suspicione commouetur populus. Cum enim magistratum honores & quedam commoda, quamvis exigua, cum inuidia adspiciant imperiti: una oratiuncula turbulenti ciuis illi concitantur. Id Rostochij tum iterum accidit. Vulnus importunum magno impetu rerum administratarum quasdam rationes sibi redi flagibat: non deerat illis dux ad tumultum: is habebat herile malo ominis nomen, hoc audacior, quod aliunde in urbem irrepserat,

rat, nec tam fuerat quæsitus, quam ille quietis impatiens ipse
se obtruserat; animi vitio & linguae procacitate monstro
Homerico non inferior: huius consilijs & auctoritate aleba-
tur illud malum: penes L X. viros, non penes patres, erat iam
summa rerum. Magni illius incendij spectatores fuimus, de-
quo restinguendo senatus supra modum sollicitus totos dies
conuenit, vltro primum, sed post etiam à plebe in curiam in-
clusus ut in caueam, rationem tumultus sedandi in perpetu-
um non inuenit. Itaq. & vicinas respubl. fæderi maritima-
rum ciuitatum adscriptas consulebant: periculum, à quibus
aliquid opis expectare poterant, ijs per litteras & per lega-
tos exponebant. Fauere senatui dux Io. Albertus visus fuit,
eiq. mandatum erat ab imperatore Maximiliano II. ut gli-
scenti seditioni obuiam iret. Ibi tum à principe consulti mili-
tie periti, fortè alij à rebus nouis non alieni, auctores fuere
consilij, cuius explicatio hoc non pertinet: nec sanè conueniat,
ut funebri & squalide orationi insuper historie illius ama-
rorem adspergam. Vulgo notum est, ut multis acria remedia
probentur potissimum, vel quod mitiora ignorant, vel quod
ex alteris commodum non leue sperant, quidquid regibus &
principibus, quidquid fiat rebus publicis. Quodcumq. id erat,
cum Mylio communicandum non esse constitutum fuerat, ut
qui mitissimam sententiam semper diceret: ubi comperit,
quod erat, cum res iam cœpta esset geri, se improbare mini-
mè dissimulauit, & ostendit, quantum in eo esset sine mali
sive periculi: neq. non eius prævisioni euentus respondit nul-
lam in partem optabilis. Nec enim erat, ut ille coquus, qui

G

arte

arte sua non nisi ad gulam domini respiceret : atq; hic omnino
canon est senatoris virtute & fide præstantis , vt principem
quidem non offendat lubens , iustitiam tamen & veritatem
fortunis & ipsi vitæ anteponat , cum perse , tum propter sa-
lutem publicam . Cùm enim hoc solum honestum pulcrumq; sit ,
nec aliud bono prudente q; viro dignum ; tum solidum est fun-
damentum felicitatis priuatae & salutis publicæ . Sine conui-
cio autem dimittam , quotquot in omni negotio non nisi arcu-
lis suis consulunt . Tam familiare enim hoc est , vt in vitiis
hodie pauci habeant , quod primi in urbe à scelere non abesse
indicabant . Itaq; fit , vt si quis procerum in regia decesserit ,
non queratur , quid , qui effertur , boni contulerit in rem publ.
sed quantoperè heredes bearit , quot auri talenta , quasq; vil-
lulas reliquerit , raro facta mentione meritorum erga patri-
ani . Mylius , in quibus esse vellet , (nec enim lites forenses
tractabat , nisi quando quas amicè ex æquitate componeret ,
quod erat ipsi absq; molestia quotidianum) magno semper erat
vñsi , & vt esset , studebat , & meditabatur de singulis sedulò
& sollicitè . Sententiam dicebat liberè , contrà sentientes re-
futabat cautè , principem erudiebat comiter , nec nisi certis
rationibus , plerumq; eo modo , quem sapientes figuratum no-
minabant , cùm aut aliud dicerent , aliud vellent , hoc videlicet ,
quod ad rem pertineret , & sagacitas auditoris facile
animaduerteret : aut irent per ambages , quæ non nisi eruditæ
solertia patent : quò eundum veritatis & salutis gratia intel-
ligerent . Ob industriam autem & fidem mandabat ei prin-
ceps legationes plerasq; semper præcipuas & longinas ,
crebras

crebras ad imperatorem Ferdinandum, ad imperatorem Maximilianum II. ad Sigismundum III. regem Polonie, ad proceres eius regni, ad Albertum ducem Borussiae, principis sacerorum sine dubitatione Mylio mandabatur, si Latine orandum esset. Deniq; dux sine in Poloniā iret, (namq; & ipse aliquando iter ad regem suscipiebat) siue ad comitia imperij contendeleret, que ille nunquam negligebat; hunc oratorem secum ducebat, nec à latere dimittebat, siue quid consulendum erat, siue dicendum: etenim æquè præstabat in utroq;. Vsu enim vitæ & multa tractatione negotiorum illa in viro sic maturuerant, ut & rebus verba affluerent, nec oratio penuria rerum laboraret. Admiratiō erat eius in dicendo facilis, puritas, perspicuitas, copia, tum cæteris nationibus etiam cultissimis, tum potissimum Polonis, quorum iudicium maximi faciendum est, & ni fallor, iudicio plerarumq; aliarum gentium anteponendum: non quod Gallis & Italī ibi parum tribuam, sed quod Polonis non minus, nisi plus forte ys tribuendum sit, qui ad nullum discipline genus, quod à studio dicendi iuuentutem longius amouere videatur, se se conferunt. Nec enim iure ciuili Romano discendo distinētur, cum suis legibus vivant, & ad commentarios iuris ciuilis vix unquam respiciant, sed statim à pueris Latinos scriptores lexitant, ad eos imitandos se comparant, propterea longinquas regiones adeunt, domi permulta illo sermone tractanda suscipiunt & perficiunt: deniq; laudem non vulgarem in Latina eloquentia ponunt: quod illæ, quamvis totius Europeæ cultissimæ gentes non faciunt, ita occupatæ in patrijs

linguis expoliendis, ut Latinam negligant, & adspersari
interdum videantur. Eam laudem Germani non contemni-
mus, sed minus adsequimur, quam pleriq[ue] non affectamus,
abducti alijs studijs, siue quod ita v[er]sus nostrae reip[ublicae] postulat,
quando nihil in imperio moliri fas est, nisi idem liceat legi-
bus, siue quod rebus iam constitutis & florentibus perpetu-
am curam fori agimus, siue quod vni studio præmia proposi-
ta sunt maxima, cæteris non item, siue quod ad eloquentiam
eig[ue] suffragantes disciplinas, è quibus efflorescit oratio, &
prudentia scaturit, aditus quodam modo interclusus est te-
nuioribus, & ad vitæ necessaria, nolint velint, respicienti-
bus. Studium namq[ue] illud primarium & à regio proximè se-
cundum, magno ingenio præditis potissimum patet, ijs præ-
sertim, qui nec ampliores diuitias, nec nouos honores querunt
aut desiderant: et si illis artibus hæc & parari & conserua-
ri, si quis eò respiciat, non negauerim. Magnum erat, quod
ad regem in confessu senatorum, sapientia & eloquentia præ-
stantium, meditatus etiam, intrepide, fretus arte & memo-
ria diceret: sed idem forte & alius poterat, qui cum regibus
fuisse, qui s[ecundu]m dixisset in senatu, qui nobiles legationes in-
uenis interdum obiisset. Nouum erat, idq[ue] in paucos oratores
cadit, quod, si ex tempore in negotijs arduis respondendum
effet, nihil tergiuersatus, ubi ex verbo vel nutu vidisset,
quod princeps iret, non minus ornate, quam antè, eadem et-
iam copia sine alucione diceret: nimirū intellexit ipse, se
cæteris dicendo parem esse, ut nō audacia, sed ea, qua ibi opus
erat, arte fretus facere rectè indicaretur. Erant illo seculo,
annis

annis triginta sine quadraginta antè, legati nobiles in regijs,
qui ex Latina eloquentia laudem sibi pepererant, quorum &
ipse aliquos noram, & ingenij sui monumenta publicarant
alij. Suam ipse cuiq; laudem sine inuidia tribuerem : sed ni
gener ego Mylysim, primas ipsi tribnerim in hoc genere,
de quo iudicium posse facere, non tam ipse mihi quam diser-
tioribus videor. Faciam tamen id, quod ij in quibus Aristar-
chus dicit familiam. Cum enim ipsi nihil pangant, tamen de
poëtarum scriptis censuram facere non verentur. Sic ego et-
si me neq; oratoribus accenseo, neq; inter magistros dicendi
vendito; tamen quid in quoq; sit, fortè video, & sincrè pro-
nuncio. Accedit, quòd noui neminem, qui se illi parem pro-
fiteretur, qui ei vltro cederent, plures. Vno verbo dicam,
quod eloquentia maius est, quòd preter consuetudinem in au-
lis in hoc potissimum genere excellentium, eo ipso minimè
fuit ambitiosus, siue arrogans, credo, quòd se iam inuidiam,
si qua inde oriri posset, superasse, siue quòd se tam longè à
perfecta eloquentia abesse intelligebat, quantoperè ipse ea
cæteris antestare, nec falso, crederetur. Vtrumq; enim tale
est, quod homini facile spiritus mitaget, qui sapiat. Desipere
enim censem, qui primo loco contentus non sit, nec minus,
qui glorioſior sit, cum se nibili esse nouerit. Sed si quis hic
me interroget eloquentiae cupidus, & dicendo præstantium
æmulus, unde viro tanta ad dicendum facultas, quam præ-
dico, & si id est in me iudicij, verè prædicto; gratificabor in-
uentuti, & dicam, quod ipsa flagitat. Hoc vel æquus lector
ferat, vel argutior relinquat: quamquam, quæ dicam, ad in-

stitutum meum simul facient. Natura plerumq; aliarum &
huius rei fundamentum est, quasi aedificy, sive radix eximiæ
palme. Sed de illius ingenij præstantia antè mentionem feci:
quo si nullo fretus aut pusillo quis ardua molitur, ludet ope-
ram. Dixi, ut magistrorum dicendi veterum, quos perfe-
cisse artem, nec quidquam præteriisse, de quo dicendi studio-
sum erudiri moneriūè necessarium videretur; ut eorum ille-
neglexit neminem. Nec verò obiter considerarat, que diini-
nitate ingenij perscrutatus esset Aristoteles, nec ea tautum,
que ab arte inscribuntur, sed & altera, quibus ratio de re-
bus ciuilibus in utramq; partem disceptandi exponitur, ut
collatione facta & argumentis utring; ponderatis accurate,
magis eluceat veritas, quoad ea in illo genere in lucem pro-
duci posse videatur: dixi item, quos potissimum è ceteris
quotidie legeret. Sic autem habebat in manibus Demosthe-
nem & Ciceronem, ut neg. alios despiceret, è quibus aliquid
in suos ysus se depromtum confidiceret: non dixi, quemad-
modum que ex singulis sibi notanda putauerit. Aliorum
commentarios sine editos sine scriptos tanti non faciebat,
quibus quisq; initio sibi seruire voluisse, & potissimum ser-
uierit: ipse sibi pridem suos duū generum confecerat: in
alteros coniiciebat, que perpoliende orationi profutura iudi-
cabat, primū omnis generis: in quo non perseverabat, quod
non tam immensi quam infiniti laboris esset futurum, nec
necessarium iudicio valenti & memoria: deinde singularia,
que depromeret, ubi vellet, et si pleraq; nunquam obliuiscie-
batur. Ita autem hoc fuit studio inneni, ut ne quidem, cum in
omnibus

omnibus se confirmasset, id in uniuersum repudiaret. Etenim
si quid cultius aut in ipsis scriptoribus aut veterum monu-
mentis, modo repertis, aut recens editis, quae vel à me, vel
ab alijs acceperat, legebat, id annotabat, potiore iam decur-
so vite spacio. Fieri videmus, vt, quae studia semper colue-
rimus, ijsdem & senes nos oblectemus, etiam si prima non
sint. Hoc tamen ab eo, quod sapientie existimat, secun-
dum est. Quid multis? Sic eum facere sàpè ipse vidi. Piores
seruire volebat elocutioni, quae & ordine & dignitate minor
pars, siue pusilla particula est huius artis nobilissimæ: quam
tamen præstantium oratorum neglexit nemo: immò quis ad
dictionem & compositionem non singularem adhibuit dili-
gentiam? Tantum hoc cauerunt, ne ex ea cura in iustam re-
prehensionem incurrerent: quod tum fieri omnino iudicari
debet, cum Verborum potior, quam rerum ratio instituitur.
In altero commentariorum genere, rebus seruientium, ride-
bat sàpè, siue vna ridebamus quorundam, qui litteras fini-
stre colerent, consilium, quod sequebantur, vt repente diui-
tias sapientie in unum quasi angulum comportarent. Sine
iudicio enim tumultuaria lectio & opera quid de quavis re-
legerint, in commentarios referunt: unde fit, vt si opus esse
putent, in usus suos, verâne an falsa, parum apud animum
reputantes, depromant. Nihil ineptius, si in hoc studium in-
cumbat, qui nihil philosophie degustarit, qui quis cuic in
scribendo scopus propositus fuerit, non intelligat. Nec enim
ille, quid verum sit, quid falsum cognoverit, qui rationem
rerum actionumq; non peruestigauerit: hic autem auctorita-
tem

tem pro ratione acceperit, quod argumentum est non bene
erudit iingenij. Nec enim ullius auctoritas tanti esse potest,
qua rationi praejudicet, cum ratio veritatem generet, veri-
tas autem mentis divina quidam in homine radius sit. Ipse
vero sic ab inueniente etate in litteris versatus, & eleganter
eruditus, ut ante dixi, se ad lectionem veterum contulit, ut
nouos & bonos non contemneret, & alicubi necessarios esse
fateretur. Ab illis autem semina lectissimarum rerum &
optimas sententias sumebat, quibus suorum commentariorum
hortos consereret. In ijs apparent principes Thucydides &
Plato: neq; reliquorum siue tragædorum siue oratorum siue
historicorum (de ijs, quos probæ primæq; notæ duceret, loquor)
quemquam reliquit: recensionem singulorum non paro, ne
indicem bonorum scriptorum confidere videar, non docere,
quos ille potissimum legerit. Vix apparet tamen aliquid Hom-
eri. Quid enim? ex eone vel eorum aliquo describeret, quem
didicisset, aut Aristotelis, quæ sunt de rebus ciuilibus, omnia,
& ad vnguem teneret? Homericis & huius generis Aristoteli-
cicis vt: poterat, vbi volebat, & vtebatur quotidie: pre-
terea ipse meditakatur, pangebat vel orationum partes pri-
marias, vel integras aliquas, siue eas ipse haberet, siue alijs
legendas daret. Eam consuetudinem seruarat initio per quam
religiosè, cum nondum esset in negotijs, aut ea primùm leui-
ter attingeret: in eadem etiam perseverauit in ipsis negotio-
rum fluctibus, quantum eius facere posset. Haec multis odio-
sa esse lectu, mihi inter meditandum in mentem venit: verum
quid facias? Si plusculum verborum faciendum sit de pictore,
non

non erit nihil dicendum de lineis & coloribus, aut si de phry-
gione, de acu & vñionibus : ita cùm de homine multifaria
doctrina agamus, de ipsius studijs multa passim adferenda
sunt. Fortè cui magis libeat cognoscere mores & interiorem
vitam. Ego hæc non potui non cognoscere, qui ab adolescen-
tia in ædibus Mylianis sæpen numero ex interuallis fui, hospes
nec viro incommodus, nec ingratus. Cùm enim bonos accipe-
ret quotidie, tum neminem libentius, quam qui iisdem studijs
caperetur. Sed maior mihi data fuit postea occasio introspi-
ciendi, si ita loqui licet, viri integerrimi, qui nullibi animum
suum occultaret : nec ipse, qui cognosci nollent à bonis, bono-
rum notitia dignos iudicabat. Erat autem tempus, quo co-
mitia regebat Spire sapientissimus imperator Maximilianus
II. Princeps, antequam id iter susciperet, de educatione
duorum filiorum consilium capiebat : erant secundæ in ea de-
liberatione partes Mylij, qui, quæ eò pertinerent, præ alijs
intelligeret : mihi ex academia accerfito id onus siue cura
grauius & perpetua imposta. Nam qui hoc agit, eum & co-
mitem & custodem & magistrum esse perpetuò oportet. Sed
hoc negotium in funebri oratione, quam principi Ioanni per-
scripti, exposui. Nunc de viri vite priuatae quibusdam par-
tibus. Ac primum mihi quis humanitatem Mylij videat : quo
verbo pleraque complexus videor. Comis omnino erat:
fellis in eo nihil, stomiachi parum : si quid in quo morositatis,
ferebat, quod alius in familiari aut hospite carperet : sale
sermonem adspargebat, sed illo candido : siue res seria ageba-
tur, siue erat ad ioca transitus, ut solet in vino: erat eius ser-

H

mo sua-

mo suanis & cultus, ex quo simul ipsius animi perpetuam in-
tegritatem perficeres. Abhorrebat enim à fuco, nec aliud
præse ferebat, atq; erat: quod bonis viris facile est: insidiosi
in ipsa arte non possunt non deprehendi à prudentibus, nec
facile fallunt sui similes. Si cum potentioribus sermo insti-
tueretur, usurpabat illum modum, qui habet multum artis
reconditæ, quam qui nesciunt, aut cum periculo aut sine ef-
fectu res magnas apud potentes moliuntur: quam rationem
& antè attigi. Domus Mylij erat, de qua dices, quod de-
ædibus Musarum fertur: earum fores apertas: aperta erat
bonis illa, & litteratis potissimum: eos etiam non solum com-
mendabat, sed iunabat pro re sua quibus poterat modis. Ac-
cipiebat hospites non arbitratu suo saepius: sed qui ad eum se
recipiebant cum alijs, tum legati regum, principum, ciuitatum.
Iij solent deligi primi, & deligebantur accuratius ad
ducem, qui doctriuæ nomine inclariisset. His ad eum refe-
rebant potissimum, in quo humanitatis & litterarum pluri-
mum: ne de ysu rerum dicam & de notitia, quæ ipsi cum
multis erat in Germania & in alijs regnis. Tamen eos non
nisi eleganter habebat, ne in luxum verti videretur hospita-
litas: minimè sequebatur ferculorum numerum, aliunde in-
troducedum: non solum ut facilius sumptum sustineret, sed et-
iam quia gulam oderat: nec negandum foris plus esse in vino
bilaritatis, etiam si quis modum paullulum migret, quam in
altero genere deliciarum, quibus infarciri brutum est: om-
nemq; hanc rem & præsentí occasiōni & uxoris arbitrio per-
mittebat. Non aberant condimenta ab ipsius coniuijs, non
illa

illa ab Indis insulisù aduecta Canarijs, sed, quæ prima dixeris, sermo primum conspersus lymphis, quas haurire è fonte sacro Musas perhibent, & quorum antè memini, nihil ferentes atris alis: alterum Musica, cui à puerò studuerat, ut, quantum alicui nostrum satis sit, & voce & fidibus caneret. Non capiebatur Musica, quæ non nisi suauiter aures demulcere videretur: sed artem ipsam, quæ concentuum animi quædam imago indicatur, amabat. Itaq; domi familiariter vtebatur Thoma Mancino, iuvene dum, Musico celebri, qui tum magister erat chori Musici in aula Megapol. principis Io. Alberti: hodie idem munus præclarè gerit apud inclytum ducem Brunsvicensem, Henricum Iulium. Quoties item ad me Rostochium veniebat, (veniebat autem ex interuallo, quoties negotia sinerent, me & filiam visum, sed potius nepotes neptesq; & studia Ioachimi Filij, qui apud me educabatur) nec conuiua volebat, aut vinum, sed flagitabat doctorum hominum sermones, & Musicam, quæ tum apud nos erat exquisitor, quam fuisse annis superioribus. Quod ad hanc rationem attinet, cùm de plerisq; idem sentiam, quod sentiebat sacer, nemo mirabitur, eam me commendare diligentius. Etenim, nisi fallor, ea est voluptas, quæ alteram non sinit influere copiosè: quod ubi fit, à conuiuo transitur ad intemperantiam: cui omnes fenestratas obstruere intelligentis, & errorem patræ arte auertentis aut mitigantis, putem. Cum collegis & ipse libenter erat, & illi cum eo: sed etiam ex equestri ordine satellites principis eo vtebantur familiariter: id quod eò commemoro, quia non minus ad ipsius principis, quam illius

temporis aulæ laudes pertinere existimò. Etenim domini ingenium ex familiæ moribus facile perspicitur, & rectissime dijudicatur, perinde ut cuiusq; animus tum ex oratione tum è vestitu deprehendi vulgo dicitur. Ad doctum enim hunc principem Io. Albertum se aggregabat docti equestris ordinis non pauci: quorum alij & eo loco, qui populo ei rei minimè idoneus iudicaretur, colebant non magis studium equestre, quod profitebantur, quam litteras. Nam aulæ Mareiscalcus Henricus Belonius ex negotijs, quibus distinebatur totos dies, rapiebat sibi aliquid temporis ferè quotidiè, quod in otium conuerteret litterariorum. Non solum enim cum eruditis omni occasione sermonem conferebat, quo se proficeret sentiret, sed etiam sèpè noctes tribuebat lectioni, habens in manibus cum omne genus historias, tum quidquid à nobis haberet scriptorum elegantium, veterum quidem potissimum, sed etiam recentium lectissimorum. Hic aulæ prudens & industrius moderator in senatu quoq; sententiam dicebat, magni animi vir, & bono consilio pollens. Quod cùm in aulis regum principumq; percrebesceret, expetiuit eius operam deinceps Fridericus II. rex Daniæ, princeps laudatissimus & optimus, ad eoq; ipsum regiæ suæ principem declarauit. Suscepit ille hoc munus Mareiscalci inuidiosum & graue, cui præ plærisq; aptus esse indicaretur, tum quòd ipsum pridem inteligeret, tum quòd ut tolerare posset, ita nullum laborem subterfugeret, & gesit hospes citra inuidiam bonorum. Omnimq; enim auertere mortalium nemini datur. Erat rex Fridericus vita & animorum censor eximius: indicabat ipse, de generes

generes animos timore indicari : nec probabat impudentes :
verecundiam cum animi præsentia facile agnoscebat, & ma-
gni estimabat : nec quis in tanti regis conspectu absq; singula-
ri virtute & industria apparebat : suos primo honore digna-
batur : quos vel manu vel consilijs vel litteris præstare ani-
maduerteret, in suis numerabat : in quibus videre erat exsu-
les, quos illius temporis Phalaris fortunis omnibus exuerat :
nec blando sermone siue promissis quemquam vñquam laetab-
bat, sed sereno vultu & præsentibus beneficijs suam erga
quemq; benevolentiam testatum faciebat. Ipsum quoq; Hen-
ricum Belouium haud vulgaribus beneficijs affectum, vt
virtus fidesq; hominis merebatur, in senatum regni legit,
senatoribus regni non tam suffragantibus, quam idem iuben-
tibus. Est enim nota regum Daniæ ratio, vt arctissimum sit
regis senatusq; regni vinculum, & ab aliquot sæculis saluta-
ris coniunctio. Ipse autem è Megapoli oriundus, ciuis Daniæ
primarius, & senator regni in hunc diem ingrauescente iam
ætate viuit & floret. Non possum non hoc loco quatuor inne-
num meminisse, quibus & Mylius & cæteri consiliarij uti-
rentur familiariter, quod apprimè nobiles & splendidi, or-
namenta noua ipsi quoq; à Musis acceperant : quibus ingenij
dotibus etiam tum fruerentur : easq; cum cura custodiebant,
& pro aulae rationibus augebant. Namq; & de litteris inter-
dum inter eos sermo, & legebant quidem potissimum histo-
rias, neq; non tamen & poëtis capiebantur, & præ alijs La-
tino hylico. Quem qui teneat, hunc multum in litteris, nec
parum in recta vita ratione intelligere existimem. Non mi-

nus autem eum ipsi in ore habebant, quam nos, qui à litteris
ad alia nunquam abijssemus. In ijs erat Henricus Gunter-
spergius Pomeranus, cæteris, ut meminisse videor, etate
maior: atq. is annis abhinc non ita multis in patria diem su-
um obiit. Quo mibi in mentem veniunt, eo ordine referam:
quos, vt erant eius loci æquales & sodales, in cæteris pares
iudicauerim. Venerat in aulam Megapol. puer ex institutio-
ne Fabriciana Misericordia Georgius Schleunitius, accitu prin-
cipis, cui carus admodum fuit: hodie, vt his diebus accepi, in
aula electorali Saxonica consilio & auctoritate multum va-
let. Aderat & Thomas Blarerus Heluetius, alumnus disci-
pline VVolfianæ. Adolescens enim Augustæ Vindelicorum
singulari cum fructu ingenij operam dederat Hieronymo
VVolfio, viro humanissimo, vni nostro sæculo ex doctissimis
hominiibus Germaniæ, Græcæ linguae perpetua industria pœ-
nè supra omnes vindici: qua prædicti erant & ipse & Ioachi-
mus Camerarius: vterq. multa Latinè interpretatus est, ille
omnes Isocratis orationes & Demosthenis, ita vt in eo gene-
re nemo eum æquaturus videatur. Hoc magistro Blarerus
mirificè profecerat, & tamen haud scio, quia occasione se ad
aulicam vitam contulerat: principis autem docti aulam se-
ctatus nusquam abiit à litteris: iamq. eum in consiliarios ille
legerat, cum paulò post gravi morbo oppressus decesseret. Ita-
que aula dissipata cum quisq. ad suos rediret, vt fit, iuuenis
contendit patriam versus. Siue in eo itinere cum esset, siue
ex breui intervallo de Blarero cognovit princeps fortissimus
Ioannes Palatinus, probatumq. omnibus de causis in sena-
tum

tum adscivit, eiq; præeturam administrandam dedit: idemq;
bodie in gratia est apud illius bæredem Fridericum, VII. vi-
rum Palatinum. Omnibus illis comitate & suavitate morum
præstabat Theodorus Beuerestius Megapolitanus, quem ab
illis imperij comitijs, quibus Maximilianus II. præsente pa-
tre Ferdinando imperatore rex Rom. ut paterni imperij le-
gitimè designatus successor solenni inauguratione declaraba-
tur, talem iuuenis adolescentem cognoui, cùm illò venisset in
satellitio ducis Io. Alberti. Statim autem mibi, & amare lit-
teras, & totus ad humanitatem natura factus, visus fuit,
quando me iterum ex Italia redeuntem benevolentia singu-
lari complecti cœpit. Agam de hoc nobilissimo viro & certif-
fissimo amico parciūs, ne in ipsius pudorem incurram, quando
hæc fortasse leget. Est omnino Beuerestius vir fortunatus
in ordine equestri, nec quisquam rebus secundis dignior, quā-
do ad virtutem omni studio conuertit omnia: semper erga te-
nuiores beneficis, & quidem vñus ex rarissimo beneficorum
genere, qui ex liberalitate famam minimè aucupantur. Vi-
di non solum extenuare beneficium, quod dedisset, sed etiam
libenter obliuisci: quæ duo natuæ munificentiae propriane-
mo inficiabitur. Non debo præterire, quod cùm fuisset in
me vltro liberalis, etiam rogatu meo beneficia in plures con-
tulit: ego tamen in commendando modum seruare didici, nec
nisi mihi de probitate cognitos, quod ingenia sèpè fallunt,
commendò quemquam dinitioribus. Negotia quidem vnum-
quemq; abstrahunt à libris & litteris: sed nihil ferè magis,
quam regiarum strepitus, vbi non tantum, qui honoris sui ra-
tionem

tionem habet, idem munus suum cum fide perpetuo gerit, sed
nolis, velis, danda etiam opera familiaribus, quae si ijs forte
aliquando negari posse videatur, praestari sine exceptione
debet hospitibus, qui in singulos ferè dies adueniunt. Exacta
verò iuventa, nuncio aule remisso, rem suam familiarem
ipse administravit, quantum per hanc licuit, id meditationi
& lectioni indies tribuit: ac potissimum incumbens historiæ
paravit sibi magnifica monumenta magno pretio, quibus si-
tus omnium terræ partium & diligenter descriptus est, &
depictus summo artificio: quibus adminiculis eruditissima
vetustas quoq; caruit. Namq; periegeses illas & periplus or-
bis longè superant hoc nostro hac re felici seculo in hoc gene-
re nata, & ob accuratisimis ingenijs perfecta monumenta.
Credibile est, ijs paria nec Ptolomeos habuisse, nec Attalos,
etsi artifices ea gratia alerent, & sumptus regios in bibliothecas
cupidè facerent: in quibus nisi talia sint, potissima orna-
menta desiderentur. Quin id affirmare tutò liceat, quòd ab
annis centum detectæ sunt longinque amplissimæ regiones,
ab omni vetustate prorsus ignoratae. Idem deinde à principi-
bus & ordinibus in senatum prouincialem lectus, animi &
officij tulit, & fert etiamnum, fructus patriæ uberrimos.
Hæc igitur hac tenus: quæ si quis nulla necessitate huc à me
relata, arbitrabitur; nec ille negabit opinor, ad hoc genus di-
cendi ornamenta non incommodè adscisci, praesertim quæ
cognita nonnihil forte lectorem iuuent. Ego non aliena cre-
didi, siue propter eum, de quo dicere institui, siue propter
principem, cuius virtutes omni occasione libenter predico,
non so-

non solum quod ita de me merito fuit, qui si quid praestiterim,
id ipsius bonitati & erga me beneficis potissimum acceptum
ferri volo, sed quod in uniuersum ei litterae plurimum de-
bent, praesertim ad littus Balticum. Nunc etiam scopulus
quidam mihi praeteruehendus est, in quem ne in dicendi cur-
su illidam, videndum. Si historiam scriberem, nihil praeter-
irem, quod illius hoc fides postulat, non solum que cognouis-
sem, & compere possem, narratione omnia vera persequens,
sed etiam, quibus lector erudiatur, indicans. Cum autem il-
lud mihi propositum non sit; praeter officium nihil fecero, si
praeter historiam nihil scripsero. Nec enim boni viri sit ei
affingere falsa, quem ornatisimum esse desideres, nec pru-
dentis, in ijs multum esse, quibus in offensam cuiusquam in-
curras temere. Senes memoria tenent, quis rerum status in
Megapoli fuerit, deceidente Alberto, viuente adhuc Henrico: Utroq; defuncto, quemadmodum patruus paterq; fuerant,
pares esse coperant imperio fratres principes Ioan. Albertus,
& Ulricus. In potestate autem aequalitate & per negotia,
& per homines duobus idem semper sentire & sequi non li-
cet: quod mirari aut culpare minus debemus, cum non raro
unusquisq; a semetipso discrepet: cuius erroris prudentissi-
mus nunquam se exortem dixerit, qui quo plura negotia ge-
rit, quo magis consilio abundant, hoc crebrius se retexere &
ab instituto vel in contrarium vel in diuersum digredi nece-
se habet. Ut triusq; verò familiæ primos, ut & dignitatis suæ,
& boni publici rationem habere, & in rebus ipsis veritatem,
in oratione cautionem adhibere oportet: ita & heris prode-

I

runt,

runt, & patriæ & sibi benè consulent, ne vel in officio im-
pingant, vel in alterius indignationem temerè incurvant. Ita
se gesit Mylius, præsertim in dicenda sententia, ut nec à re-
eto discederet, nec hero suo præter æquum placere studeret,
& imperij socium minimè offendiceret. Quod apud illos princi-
pes obtinere in promptu erat, qui simul pietati, virtuti & sa-
luti suorum consulenterent, & qui fraternum amorem præse-
ferrent, & omnibus rebus ostenderent. Namq; & alijs offi-
cij certabant, & sermonem instituebant cum suauitate, &
interdum conuiuia azebant, semper cum hilaritate. Quæ ali-
quando negotia quiq; homines fraternalis animos penitus coa-
lesceret non fierint, nec meæ est scientiæ, nec id adeò scire
refert, quam alterum, fraternalam benevolentiam & fidem
dineritate sententiæ dirimi nunquam potuisse. Apparet
ex ijs, quæ dixi, & ex hoc, quod dicam, maximè. Ioannes
Albertus & curis afflictus, & aliquot annorum morbo debi-
litatus, cùm vitæ finem sibi adesse sentiret, de republ. & fi-
lijs ad Vlricum fratrem potissimum respiciebat, & frater-
nam fidem implorabat: accepto nuncio accurrit frater: ab
vtroq; lacrymas antè expressit amor, quam vlla de re ver-
bum fieri potuerit. Initium petitionis vix fecerat Ioannes
Albertus morbo & mœrore iam defectus: ibi etsi negotium
intelligebat Vlricus, tamen ille reliqua iubet persequi My-
lium. De hoc autem memoratu dignum, quod ab initio in re-
bus arduis plenisq; periculi & principis sui gratiam conser-
uaret, cui interdum, vt negotia ferebant, aduersandum fue-
rat, & caueret, ne principis sui fratrem offenderet, etiam
cūm

cum haud semper adeò grata diceret. Id esse ingenij, integratatis, prudentie, usus rerum & sermonis existimem: quæ omnia etiam si diuelli forte nequeant, tamen distingui inter se quibusdam notis posse arbitror. Sed in hoc aëtu seipso multò fuit inferior Mylius, in conspectu ægrum & moriturum brevi herum habens, fecit verborum quantum potuit inter lacrymas: & res pro se loqui, nec alterius orationis egere, sed benevolentie videbatur. Fraternis precibus Vlricus, princeps humanissimus, ac mortalium conditionis non immemor, locum dedit, ut exspectabatur, & par erat, omneq; in se negotium suscepit, si quid humanitus fratri accideret, quod non longè abesse omnia signa indicabant: futurus, ut cum fratre fuerat haec tenus, patriæ pater, sic fratris filijs pro patruo pater. Interiecit fortè biduo piè obdormiuit Ioannes Albertus: Vlricus gerere rem publ. cœpit solus: pupillis principe loco præerat, quibus testamento vna dati erant tutores VII. sibi imperij duo, Augustus dux Saxoniae, Ioannes Georgius, Marchio Brandenburgicus. Facto funere, paucis post mensibus, ad negotia veniunt à VII. sibi legati: præstò fuit ipse patruus: præter negotia grauiora alijs rationes rediuit, alijs creditum reposcunt. Venerat in mentem vni atq; alteri, non parvam pecuniam habere Mylium in æario principis: Erat credibile, qui tot annos coluisse aulam, cum neq; quisquam suisset gratiosior. Interrogatus igitur, intellecta suspicione subridens, ut tempus illud ferebat, de eo securos esse omnes iussit, cum aliud expectaretur. Non erat de ijs Mylius, qui in omnem occasionem intenti non vntuntur bonitate

tate principum, quod interdum rectè fieri iudico, ne quis
suos negligat, sed abutuntur: quin in quibus minimum est
Virtutis, & utilis industria, ij potissimum in aurum, & præ-
dia tamquam prædas inibant: neg. nihil extorquent, et si cum
indignatione bonorum, & sua infamia, plerumq. nullo suo-
rum liberum bono, ut qui ut plurimum male educati, nouas
nec bene partas opes in luxum vertant, & ipsi vna pereant.
Demenso contentus erat Mylius: id erat liberale: ut si nihil
superesset, de paenuria querendi caussam non haberet: nec il-
le à principe natura benefico ipse minimè anarus aliquid fla-
gitabat: ab eiusmodi, plerisq. in regis familiaris, importunita-
te siue impudentia prorsus abhorrebat: forte tamen obiter
verbo ostendebat, si quid opus esset, improbum & ingratum
ratus, ab heros siue patruo aliquid multis precibus contende-
re, qui ultrò multa dedisset, & plura daturus ultrò videtur.
Princeps igitur beneficentiorne fuerit, an Mylius ad pe-
tendum verecundior, non facile dixerim. Egere ille alum-
num & familiarem nec ab initio passus fuerat, & ipsius et-
iam liberis consultum voluerat. Habebat ipse iam Suerini
domum, hortos, pauca agri iugera: reliquam rem familiarem
pro conditione consiliarij vix mediocrem: donabat igitur ei
non multis ante obitum annis Gædebendanum: eam villam
nouus hic Vitæ rusticæ cultor cœpit primum magis exornare.
Id rus ab aula X. M. P. situm est via Gustrouiana cis Var-
num, qui ibi angusto nec profundo alveo fluit, postea Buzo-
rium præterit, & ad Rostochium satis amplius & piscoſus,
infra latus admodum, & navigationi marinæ aptus, ab yr-
bis mæ-

bis mœnibus item M. P. in mare Balticum lenior delabitur,
ad Varnemundam, quasi dicas Varni ostium Cum aliqua
inuidia principio habebat hoc beneficium, (ita enim vivitur)
nec tamen ea magna, eamq; possessor facile contemnebat. Cùm
enim ipsi boni fauerent, improbitatis & imperitiæ voculas
pro nibilo ducebat. Idea in re optimum esse conuincit ratio.
Sic enim & inuidi animus laniatur, quum sine suo excidit,
& malitiæ penas luit, & cui inuidetur, facile discedit teclō
latere. Defuncto principe non magnos prædij fructus, sed
vsum non mediocrem sentit. Habebat enim, ubi curarum
aliquid deponeret, & interdum, si quando se totum in litteras
abdere cogitaret, vnum diem delitesceret, & item alterum.
Non dabatur senescenti iam prorsus vacatio à negotijs
publicis, sed priuatorum controuersijs componendis erat oc-
cupatior, cùm & vsum rerum haberet, nec leges consuetudi-
nesq; ignoraret, quibus eiusmodi disceptarentur, & apud o-
mnes auctoritate valeret: præterea nouerat, qui in magnis
rebus orator cum laude sœpè fuerat, quemadmodum animi
saucy tractarentur, & lites omnis generis absq; magno stre-
pitu componerentur. Rem autem familiarem, que Suerini
erat, sola rexerat vxor, cùm ille negotiorum semper haberet
abundè satis: eidem & educationem filiarum permiserat: re-
cte vtrumq; ni fallor. Matres enim in primis de filiabus sunt
sollicitæ, & que in earum rem sint, rectius intelligunt: nec
verò maritis, qui vel in litteris vel in republica versantur,
otium est curandæ rei domesticæ: nec curiosi esse in officio
vxoris velint, à qua id rectè geri animaduertant. Nec enim

postrema legum coniugij hæc est, vt, quæ foris sunt, procuret
maritus, que domi, custodiat & administret vxor. Infeli-
cem patrem familias, cuius rem domesticam vxor non intel-
ligat aut negligat! Stolidum verò & miserum, si, quod illa-
velit agere, & rectè queat, ipse agat, famulus familias &
mancipium primum, idemq. labes domus! Mylia rei familia-
ris rationes intimè nouerat, & dies noctesq. cogitabat, vt
suam benè constitueret: filias non in delicijs ad fastum, sed
ad operas domesticas educabat, vt à teneris virgines disce-
rent rei familiaris rationes maximè necessarias & quotidiana-
rias: in hac parte neglectæ aut secus adsuetæ noxa domus
fiunt, & pestis rei domesticæ. Sanè quam ex Mylianis ego
duxeram, nunquam otiali, sed aut ad colum nere, aut culinæ
præesse, & vt apud nos loqui solent, matrem laboris alicuius
molestia leuare semper animaduerteram, nec studere elegan-
tiæ, nisi quod conditioni & etati conueniret. Cæterum My-
lius, qui sibi pœnè solitariam vitam agere videretur, vt le-
uaret animi egritudinem, quoties nibil erat negotij, & sapè
in ipsis negotijs se ad litteras quasi certissimam quietem re-
ferebat: legebat cum alias historias superiorum sæculorum,
tum recens à Carolo Siganio editas non unius generis, è qui-
bus multa autè sibi obscura se cognoscere nobis affirmabat,
neq. non veteres in manibus habebat, quos diligenter olim
voluerat. Multa legerat in Vtrog. Dione: Nicetas multis no-
tior est: tum verò alterius lectionem sive forte sive consilio
iterauit, eius qui à flumine orationis Chrysostomus dictus fue-
rat: quem etiam optimus imperator Traianus adeò in amo-
ribus

ribus habuit, idq; potius ob integritatem & vite sancti-
niam, quam ob eloquentiam, ut eum in curru aureo secum
veliceret, non solum ut sapienti viro hunc honorem haberet,
sed multo magis, ut de eius sapientia aliquid degustaret. Non
ille paucas per otium huius Dionis orationes relegit: quo
epularum genere animum cupidè aleret, sine recrearet. Cum
esset in perlerido libello, quem de venatione scripsit, quo etiā
vitam priuatam rusticam, ut felicem, sine etiam beatam, aut
ab hac non multum discrepantem, bona si sua norint, ut Latinus
poëta cecinit, miris & veris laudibus in cælum enebit,
statim Latinè & quidem admodum luculentè à se redditum
cum amicis communicavit: nosq; nouam illius & feliciter po-
sitam operam mirificè probauimus. Sub id tempus opus non
paullò grauius adgressus, quatuor, de regno siue regis officio,
libros ab eodem diuinitus scriptos, magna diligentia in Latini-
num sermonem, nec infelicius conuertit. Quos ille mihi cum
Suerinum venissēm, (sæpè enim vel domi ipsius vel meæ con-
ueniebamus cum familys, ut unum diem aut alterum vna es-
semus, & de rebus priuatis consilium caperemus) legendos
dedit: eos ego legi audiè, & cum voluptate legi, visiq; mihi
fuerunt non translati aliunde, sed Latinè compositi. Quia ve-
rò in Græcis litteris non minus mihi tribuebat, quam sibi,
vel homines docti vtrig: quin, inquit gener, in ijs libris ac-
curatius considerandis diem ponimus: tu Dionem in mani-
bus habe: meam interpretationem ex me audi: notau, in
quibus mendæ, earumque mihi suspicio: dic quid de quoq; tibi
videatur. Ibi igitur cum pari diligentia singula considerare-
mus:

mus; ipse sane quibus verbis videntur esse putarem, nihil attuli: cum ille ex obvia coniectura & leui indicio, luculentè sententiam exprimebat, non propriè solum & perspicue, & ex tempore, & quot modis conaretur: tanta erat in viro & verborum copia, & Latini sermonis promptitudo. Interpretatus postea eosdem libros auditoribus, non omnia à nobis animaduersa vidi. Nec ferè aliter fieri poterat, quod uteremur exemplo non satis correcto, nec cuiusquam haberemus interpretationem, qua non nihil niteremur. Id tamen opus aliquanto post typis elegantibus Iacobi Lucy expressum, ad Fridericum II. regem Daniæ misit: qui cum ex senatoribus, quibus censuram mandauerat, intellectus est scripti pondus & elegantiam, gratum sibi fuisse id Myly studium, & litteris perbenigne scriptis & regio munere declarauit. Libet mihi hic denuò prædicare & magnum excelsumq; regis animum, qui, quos integritate animi vitaq;, aut peritia rei militaris, aut eloquentia, aut aliquo genere litterarum, aut arte quamlibet honesta, præstare animaduertisset, mirificè ornare quemq;, ut mereri videretur, solebat, & regni procerum prudentiam & singularem bonitatem, qui non solum regem in his rationibus confirmarent, sed interdum etiam, de quibus videretur, monerent. Eorum princeps fuit, & viuente rege, & vita functo, Nicolaus Kaasa, præclarè de regno, & de litteris, & de viris bonis, tum consulendo, tum agendo meritus, & cum amplissimum Cancellarij munus gereret, & cum deinceps in regni IV. viris principem locum teneret. Tametsi autem hæ angustiae summi viri laudes non capiunt,

tam. n

tamen perstringendas putani, cùm magnam ille vel primam
voluptatem ex Dionis lectione tum acceperit. Quod si Kaa-
sam laude sua adficiunt, quotquot ille beneficijs singularibus
affecit, gloriam obtinebit inter patronos litterarum sempi-
ternam. Magnum autem regni necessario tempore, superiore
æstate decedens, sui desiderium reliquit: et si Dania magnis
viris non caret, quorum & ipse noui iuuenes, qui ab ineunte
ætate in virtute & litteris educati, comparauere sibi, quæ
sunt vera præsidia reipublicæ. Namq; siue discendum quid
sit, siue longinque regiones adeundae, nec labori parcunt, nec
sumptui, & ad landem nati homines, & bonis fortunæ cu-
mulati. Nec ignorant, quod velim principibus & fortuna-
tis familijs magis innotescere (neq; enim nullis & patrum &
nostro saeculo innotuit) quæ sint illæ litteræ regiae, siue pri-
ma studia, quibus maximæ respub. fulciantur, & in bono sta-
tu conseruentur. Sed ad Mylum redeo: is non solum multa
legebat, quædam Latinè reddebat, sed etiam non pauca
meditabatur & nonnulla perscribebat: mittebat ad amicos
litteras, elegias, epigrammata, quædam sibi, ut semper con-
suerat, faciebat, siue pietatis, siue leuandæ ærumnæ gra-
tia. Bonos ille versus pangebat: erant in ijs multi exquisi-
tiissimi, quos cum admiratione & voluptate legas: quod in
homine negotijs respub. semper occupato, singulare. Villam
aliquando salutabat hoc epigrammate:

O Varniane funde, plurimum salue,
Vixi diebus pauculis libens tecum.

Nam me grauedo cùm coquit frequens aulæ,

K

Quaf-

Quassatq; tussis ægra frigidum pectus,
Quàm sàpè crudus in tuum sinum fugi,
Vt me leuaret suauiter quies villaæ,
Ferueret & mi lucidus foci splendor!
Adsit precor tunc, quantum amabitur nulla,
Amata coniux : nil beatius poscam,
Nec plus requiram : rapula & domi cocta
Ceres ministret, suscitet Venus vires.
Quid sumptuosæ perferunt boni cœnæ?
Quid inuidenda donat aula, sexcentos
Præter labores ? detur ô quies vitæ!
Namq; aulicarum tædet vsq; curarum.

*Qua de re Nathan quoq; Chytræus Mylio gratulatur in Var-
no, his versibus :*

Aduena mox Myliæ visit viridaria siluæ:
Quaq; potest, riguos, voce, salutat agros.
In quibus à curis varijs, Musisq; sibiq;
Reddere se Mylius, cùm sinit aula, solet,
Tale quid ad Varnum meditans, ad murmura quale
Fibreni Arpinas inclytus ore senex.

*Affulxit ex benè longo spatio siue nouus sol senescenti Mylio,
vt quis ominaretur, siue noua ingruit calamitas, vt res post-
ea docuit. Etenim princeps Ioannes, Ioannis Alberi maior
natu filius, attigerat eam ætatem, vt imperaret cum patruo,
& ita se parârat. Is ubi successit patri, ad labores pristinos
reuocatur Mylius : sed ei ibi tum sarcina non paullo grauior
imponitur. Inbetur enim, donec princeps aulam omnibus re-
bus rectè constituat, esse quoq; à libellis supplicibus : muneri
tanto ipse omnino par, nisi vacatione omni vacet, & ille iam
senex*

Senex foret. Nam quæ ad id manus requiri existimantur,
erant in eo omnia: non solum earum rerum, quæ omnibus ho-
ris in aulas adferuntur, cognitio & usus, siue quid expedien-
dum, siue dicendum, siue scribendum esset, sed etiam huma-
nitas, & patientia interpellationum, tam in otio, quam in
negotij. Qui enim in mensa compellatus, aut aliqua leui oc-
cupatiuncula, se nulli dat adeuntium, is fortè immerbito, sed
reprehenditur populi voculis, & interdum asperius, cum
magis reprehendenda foret interpellatorum importunitas.
Quia verò imperitorum emendatio frustrà instituitur, quid
agas, nisi ut molestos eiusmodi, sed minutos tamen fluctus
volens subeas, vel arte declines. Sed hoc necessarium, leue
tamen præ altero. Semper ipse questus fuerat, non solum in
ciuitatibus, aut in iudicij, sed & in regij frequentari lar-
gitiones, quibus iustitiae dignitas supra modum labefactare-
tur: patefieri etiam malo fenestrar. Nec tanti mali sine cau-
sam, siue occasionem, dissimulabat: negligi enim, neq; satis
liberaliter haberi, qui rebus præsint: quos tamen tum pro-
pter principum dignitatem tum ob vulgi opinionem, nec non
alijs de causis vivere oportet eleganter, & interdum splen-
didè: quod paruo fieri non potest, cum præsertim ut pluri-
num ibi cariora sint omnia: ita fieri, ut etiam satis boni mi-
nus repudient, quibus egeant: ut de ijs taceam, quibus scopus
est rem facere. Nec enim expleri possint: quæ pestes vtinam
longissime absint ab omni parte reip.: dignos omnino cense-
am, qui cum formicis, quæ Indiæ auri montibus incumbere
feruntur, assidue bellum gerant; quin eos in illa solitudine

habere omnia aurea satius sit, quam patriam expilare
Et principes, quibus se consulere profitentur: et si (fatendum
enim) in rebus necessarijs etiam nauiter desudant aliqui: nec
tamen alio quam illo fine: quod absq; eo rem potius alijs vijs
quærerent, quidquid fieret de patria. Mylius, ut dixi, con-
tentus paucis, detestabatur etiam, quæ existimationi notam
adspicerent, nec bearent posteros. Si quæ deferrentur fo-
renses controværsiae, in quibus difficultas; Et habebat colle-
gas, Et plæræq; lites dimouentur ad suos indices, Et consulun-
tur collegia de iure respondentium. Id onus ferebat menses
aliquot. honorem sibi delatum iri non suspicabatur: nec erat,
cur expeteret, cum et essent cætera, Et dignitatis nouæ non
egeret. Tamen siue princeps ei hoc munus totum imposuit, si-
ue amici persuasere: utriq; senescenti iam vim adhibitat
suspicor. Nec enim vñquam fuerat ambitiosus, Et sœpè se
ætatis rationem habiturum dixerat: neq; ignorabat ingenium
inuidie ad omnes occasiones calumniandi intentum. Illa qui-
dem virum supra annos triginta tentarat sepius: haec tamen
acriter adorta non fuerat, in eum tum clandestinas
machinas versutè fabricata. Personata semper est calunnia,
venit ex insidijs, accusat absentem grauiter, confingit, quod
vult ipsa, crimen, reum dicere causam non sinit, ipsa senten-
tiā conficit, Et iudiciis fugerit. In aula animaduertebat
Mylius signa siue vestigia inuidiae: unde iret, non videbat:
quod iret, facile suspicabatur. Tum eum nouæ dignitatis sub-
pœnitere cœpit, ipsiusq; summa voluntate despondebatur al-
teri. Tum vero, ubi hæreret calunnia, indagauit omnibus
vestigis

vestigis: cumq; eam belluam in cubili oppressam protraxisset
in conspicuum omnium, ex eo tempore princeps ob summam
iamq; exploratam innocentiam multò, quād vñquam antē,
cariorem habuit, expetito semper viri consilio & opera in
rebus difficilimis, vt eum, quos in senatu & familia haberet,
omnibus anteferret: quod item pater fecerat, & filium, vt
faceret, monuerat, nec potius adolescentes calidos & imperi-
tos audiret, quād ētate & ratione domitos, prudentes senes.
Erant, vt sunt principibus rerum publ. negotia, quæ huic so-
li, vt suo Nestori crederet: si qua cura graui se minus expe-
diret, statim hunc senem consulebat: si abesset, vt interdum
ab aula longius, ad eum manu sua litteras exarabat, boni
semper aliquid consilij aut consolationis non ingrat. & pro re
nata sperans & recipiens. Excesserat Mylius climāctera il-
lum, qui fatum multis denuntiare creditur, vno anno siue
duobus: & habebat tres domi filias Virgines, tres in matri-
monium collocatas. In generis ego primus, hoc infeliciar,
quod vxor Gertrudis Mylia mibi anno à nuptijs decimo, no-
num paritura, sene laterum dolore miserè cruciata, sub diem
Septimum erepta fuerat: suauiter cum ea id breue tempus
vixeram: erat forma, ingenio, & omni virtute muliebri
prædicta: neq; dum annum x x x. excesserat: duos mibi filios
reliquit, filias tres, quarum natu minima apud auiam acuta
febri extincta fuit, maximo cum auice dolore, nec minore
cum aui, quād meo. Auo enim miras quotidie voluptates
creabat, siue curas disturbabat eius ex animo, obsequio, allo-
quio, & qua non suauitate & puellari elegantia? quo nomi-

ne eam auocarat, & tenebat secum, etiam mihi gratificans.
Infantulæ enim viduus domi rationem minus habere poteram, qui & maiusculas duas educationi sacrarum virginum credidisse, filiorum natu maiorem misissim erudiendum in ludum Verdensem ad Alarim, minorem mecum haberem.
De me dicere non debo, nec de meis liberis : quod absq; reprehensione fecero, id dicam : me posuisse cum antè, tum ab uxoris obitu, omnem curam in duobus filijs totidemq; filiabus rectè educandis, minus de ijs sollicitum, quibus beare parentes ex se se natos potissimum nimio opere laborant, & ita, ut eius rei, quam primam & perpetuam esse oportet, interdum obliuiscantur, eamùe multo tractent negligentius, quam esse curam primariam parentum oportere sapientes indicant, quorum auctoritatem prudentes sequuntur, certè semper approbant. Nec me mei consilij pœnitit, nec, vt iſpero, meos pœnitit, si officium porrò facient, & se p̄itamq; omnem moderatori omnium credent : quod vt ipſe feci, facioq;, moneo, ut hoc institutum in vita nunquam deserant. Secundus Mylij gener erat David Lanefius, vir bonus & fortis miles, in Megapolii Parchimi natus ad Eldam, flumen limpidum & piscosum, quod è lacu Suerinensi überimè effluit, ut statim pontem ferat : influit in Albim ad Domitium: patre viro docto, & tum in sacris litteris tum in rebus ciuilibus versato, Ioanne Lanefio consule, qui annos plures eius oppidi negotia fideliter & benè tractauerat : ille adolescentulus cùm re militari magis quam doctrinæ studio naturâ caperetur, pater eum Martis alumnis educandum dabat :

dabat: cùm absoluisset adolescens tyrocinium, pòst aliquoties cum laude militauit. Reuersus aliquando è militia Belgica, de re familiari & de nuptijs (monebat enim ætas & rationes cæteræ) consilium capiebat: vxorem duxit Annam Myliam: ex ea suscepit filias septem, quarum quinq[ue] fuere superstites post parentes: vitam tum agebat, ut optauerat, quietam & priuatam, quoad per ipsum stetit: in senatum deinde lectus, nec consilio nec opera patriæ defuit. Ex aliquot annis cùm percrebesceret de bello Turcico, quod hodie a spicij imperatoris Rudolphi II. geritur, neq[ue] tum communis patriæ deesse voluit. Vigebant enim pristinæ vires, & animus erat maior, & excitabatur crebris commilitonum voculis, qui & rem & gloriam fortibus factis porrò quærent. Ille magno sumtu & facultatem superante, equis & famulis se ad militiam parabat. Sacer hoc factum non admodum probare: nec gener tamen consilium mutare: ille huius necessitudinis gratia dolere: nec iret, si vxore audiret, quæ eo mense iterum filiam enixa fuerat. Verum vir fortis & amans patriæ & constans datam fidem seruanit. Hoc enim Germanum, nec aliud bono viro licere putandum est. Ad castra nondum venerat, quando puerpera doloribus nè partus, an alio morbo, an curis victa? diem obiit. Hoc ille in Pannonia accepto nuncio geminum vulnus accepit, alterum ex obitu carissimæ coniugis, alterum ex orbitate totiliarum: neq[ue] non hæc domestica ipsum de maturando ad suos reditu tacite monebat calamitas. Attigerat annum forte unde quadragesimum illa mater: patrem & ore & ingenio refere-

referebat, ut sororum aliqua : nihil ea moderatius, aut hu-
manius, nulla in re æquo marito vñquam aduersata : rem
familiarem & perpetua cura & magno labore administra-
bat : in educandis filiabus vigilabat, nec eas delicate habe-
bat, quæ in delicijis ipsa vitam non ageret, in re nec arcta-
nimis, nec nimis lauta : piè vita omni acta, piè ex hacce vita
migravit. Impuberibus & parvulis materna mors grauissi-
mum est : sed multò grauius, si idem, idē simul, patre orben-
tur : quod accedit ijs sororibus : quarum nulla dum nupserat,
ætatem plæræq; non habebant. Nam quando propugnaculum
Iaurinum, quo multum confidebant nostri, turpi deditio-
ne, in potestatem hostium venit, sine in pabulatione, siue in
acie, siue ex insidijs, Lanefius etiam cæsus fuit. In vnum
plures impetum fecerant, quos ille armis, manu, animo, su-
stinebat, quamdiu poterat : nec deditio, quam omnem ille
detestaretur, breuem huius lucis usuram redimere, sed omni-
nò mori fortiter, quam turpiter in perpetuam servitutem
abducim maluit. Quod pro patria vitam profudit, hoc de vir-
tutis cultoribus neminem cruciat: optandum verò, ut ea ani-
mi constantia sint toti exercitus, quorum unusquisq; pro fa-
lute vniuersorum fortiter dimicet, nec quisquam omnium
fuga aut deditio periculum declinet, morte intrepidè quisq;
potius adeat. Neg, tamen non possumus grauiter dolere orbi-
tatem plurium tenellarum virginum, quas piè & pudicè cæ-
perat educare mater : & ijs de dote cæperat item prospicere
singulari cura pater. Magna per se calamitas est, parentes
amittere, vel eorum memoriam non habere, quod plærisque
hise

hisce sororibus contigit : ne multò grauior accedat , paterni
primum agnati , ad quos ea cura iure potissimum deuoluitur ,
sed & auunculus , & nos affines , benignè , si quid de alimen-
tis opus erit , sed quod citra dubium opus est , de honesta di-
gnaq; illis educatione prouidebimus . Breuior ero de cæteris
Mylij generis : filiam tertiam ambierat familiaris meus , iu-
uenis egregius , Eobaldus Brummerus , ac nuptias parabat
Rostochij , honesto ibi loco natus , Petri Brummeri , ciuis ho-
norati & viri prudentis , filius . Consulatum autem hic quoq;
gesit in patria bonis approbantibus : quæ profecto non vul-
garis in maritimo emporio laus est , vt neg. res facilis , primis
honoribus rectè fungi in ciuitate ampla , ea præsertim , in qua
cùm graues motus fuissent aliquoties exorti , magna pruden-
tia & perpetua iustitia cauendum esset , ne noni exorirentur .
Eobaldus ingenio acri preeditus , non ad mercaturam , vt plæ-
riq; in maritimis vrbibus , de moribus maiorum , ratione rei fa-
miliaris potissimum habita , sed ad litteras , quas puer degu-
stare iussus fuerat , repudiata spe lucri , se totum contulit . Fa-
cile in ijs profecerat ; quæ pueriles habentur : deinde lectioni
bonorum scriptorum incubuit : artem dicendi ex fontibus di-
ligenter didicit me docente : ad disciplinam legum se conuer-
tit , & iuris consultus publicè declaratus , hodiè à consilijs est
Stargardensi reipubl. quæ vrbis in Pomerania sita est ad I-
num fluum , ipse non populo minus quam amplissimo Jena-
tui carus . Igitur cum ijs , à quibus amatur & colitur , non
incommode , & libenter viuit . Cæterum Mylius secundo &
climactere anno sub brumam duas filias elocabat . Suerini ,

L

inneni-

iuuuenibus item primarys : Sophian iuueni cultissimo , Ioanni
Suartio , qui & ipse iuris consulti honorem apud nos in acade-
mia Iulia acceperat . Natus Parchimi ex affinibus , in ædi-
bus Mylij educabatur puer , cum daret operam Dabercusio &
Hederico : utriusq; fuit autem facta mentio : domestica dein-
ceps consuetudine usus fuit in acad. ad Varnum Michaëlis
Grassi . Hic Mylio in cancellariatu successerat absq; omni
antecefforis iuindia : clarus est editione opinionum , quas plæ-
rig. in sententijs iuris consulti sequuntur : cuiusmodi legum
vel obscuritati medentur , vel accidente auctoritate indicis
defectum interea supplent : atq; cum haec scriberem , Graffus
diem obijsse nuntiabatur , qui & collega mihi & amicus à
multis annis fuerat : ut eius viri honorificam mentionem mi-
nus proprio forte loco , sed occasione non aliena , libenter fece-
rim . Suartius autem in Megapoli cauſarum patronus est ,
non ingratus clientibus , & ciuib; carus , non sine ſpe certa-
borum in patria . Pridem ambierat quinetam Mylij filiam
Ioannes Creißius , ciuis Suerinensis , in eadem , quæ ad arcem
ducit , via habitans : & illa adolescentem honesto loco na-
tum , & humanitate præditum reliquæ iuuentuti ſemper præ-
tulerat : ipſe verò litteris degustatis principi in secretiorum
negotiorum ſcriptura operam dabat : quod munus etiam in
hunc diem cum laude fidei & induſtriae obit . Nuptiae Creißij
& Elisabethæ paucis diebus ſubſecutæ fuerunt alteras : neu-
tri ego ſolennitati cum liberis meis interfui . Iter erat long-
um , via difficultis , acre gelu : que tamen contemſiſſem , ſi
ſuſpicio mihi de ijs in mentem veniſſet , que paucis mensibus
enene-

euenerunt. Tanta autem illarum nuptiarum fuit hilaritas,
vt ne Mylius quidē in ylliis filiarum nuptijs Visus fuerit hi-
larior, etatis iam tūm annū agens quinctū & sexagesimū.
Vt sanè in nuptijs apparere maluerim, ostendi socero versi-
bus, quos ad eum misi, nescio quo affectu mentisue pr̄esagio:

Nunc quoq; Suerina (& doleo) desideror vrbe,
Quando forem socero & socrui gratissimus hospes,
Clare Myli: sed te, quod amica voce rogaram,
Suartius eruditj, tum quām mihi promta voluntas,
Tum quæ fata domi teneant me, quiq; labores:
Ipseq; res hominum nosti, mentemq; Caseli,
Quo non esse tui queat obseruantior alter.
Parua rei ratio cuiusuis imperat orbi:
Nec sinit esse hominem, qui vult: quod pectore toto
Secludas, facere inuitum te sāpē coēgit.
Si dilecta socrus non flectitur, inq; querelis,
Quando domūs curas animo coquit, hāret, & īra;
Iram non dubio tolerabo ab amore profectam,
Tollere si nequeam rationibus & prece multa.
Sum tamen & Quinctæ votis & carmine pr̄esto:
Creiffiadaeq; ipsiq; , mei gratantur amici,
Pieridum mystæ, viridi quā cingitur Elmo
Iulias, & nitidum claris caput inferit astris.

Sexta, cui nomen Helenæ, domi paternæ virgo vixit, dum
parentes fuere superstites: cui bis fortè diebus nuptias concili-
auit soror Margarita, eiusq; maritus, iamq; deßponsa erat
Stargardia Friderico VVeiero, iuueni nobili equestris ordi-
nis: de cuius humanitate, virtute & moribus, ea nobis nun-
ciantur, quæ maximè velimus. Anni illius, de quo iam egi,
Martius Mylio nonas miserias & duplē grauiſſimum lu-

Etum attulit. Cœperat laborare ipsius coniux annum agens
vndesexagesimum: diuturno vxoris morbo maritus non le-
uiter perturbari: interea fieri omnia, quibus ei subueniri pos-
set: sed morbus de die in diem inualescere, & spes magis ma-
gisq; minui. Iam igitur illa in propinquuo mortem sentiens,
omni de rebus ad mortalium vitam relatis cogitatione
abiecta, totam se parabat, ut piam mulierem facere par-
est, & maritum liberosq; æquo animo esse iubebat. Spirabat
illa adhuc, sed cum vita prorogationis spe per exigua: cum
ducem Ioannem de vita periclitari repentinis & nil nisi sini-
stra ominantibus, ut res ferebat, litteris nunciabatur. Quid
faceret? magno marito dolori erat ab uxore ita morti propin-
qua abire longius: ad principe diurnis nocturnisq; itineribus
volabat: de casu miseribili nihil compererat: vix aduenerat,
princeps extinguitur: quanto cum dolore cum aliorum, tum
Myly, vix dici posse arbitror. Inde redeunti domum in via
ad fertur luctuosus item nuntius de obitu uxoris: ita ad lu-
ctum luctus, ad dolorem publicum accedit priuatus: vtrum
grauorem, non dixerim. Non mirum, quod domum ingre-
sus inter manus suorum concidit: ibi postquam ad se redit,
& animum collegit, consolatus ipse suos, funus uxori fecit.
Neutrum, quoad vixit, dolorem exuere penitus potuit, sed
cum utroq; conflictatus in annum alterum, ipse quoq; ad fa-
tale omnibus iter se parabat. Namq; & ætas eum monebat.
Ibi tantum non animo fraæto erat, (homo enim) nec infraæto
prosperusq; deieæto tamen: omnem recuperare pristinam hilari-
tatem non poterat: nec tamen eius nulla comparebant vesti-
gia ad

gia ad extremum usq; eius spiritum. Sed quo omnino animo
fuerit, ex ijs, quae deinceps fecit, certius iudicium fecerimus.
Munus ille suum gerebat, ut olim: in negotijs tum publicis
tum priuatis praestata eadem fidem & diligentiam: si erat
otium, legebat, meditabatur, scribebat, ut antè: ea tamen
potissimum, quibus si animum à mœrore non prorsus vindi-
caret, non nihil tamen auerteret: de testamento sèpè cogita-
tione suscepta id condere cœpit aliquoties: modò sic instituit,
modò aliter, ut carissimis liberis consuleret, nec suos magis
hæredes litium, quam bonorum faceret: generis, quid ageret,
præsentibus exposuit: ad absentes scripsit: nos conuenire
voluit: annis pñè duobus aliud alium domi tenuit: partem
testamenti scripsit, adscripsit ex intervallo aliam: facile, quô
iret, anima duerti potuit: quæ omnia vtinam suum exitum
babuissent: æquè paterno erat erga omnes animo. Similes e-
rānt reliquæ eiuscriptiones priorum: vnius generis mentio-
nem non feci prius. Multa ex prophetis carmine reddiderat,
non ostentationis (sic enim edidisset & ostendisset publicè)
sed pñe meditationis gratia: in ijs Davidis hymnos esse scie-
bamus, quos prout legerat & meditatus fuerat, ita versibus
reddiderat. Itaq; factum fuit, ut, quod initio minimè cogi-
tarat, plærosq; reddiderit: cum pauci fortè desiderarentur,
eos sub extremum adiecit: ut nos ipsius charta docuerunt.
Vnum excipias de omnibus, qui idem tentarunt, sive præsti-
terunt, & eos, quibus magis præsidia ad rem fuit linguae san-
cta cognitione; cæteros facile æquanit: superauit plures, quam
a quibus superatus fuerit, si fortè in re sancta tali certamini

locum esse quis opinetur. Hæc autem & cætera exemplo es-
se poterunt nepotibus ad litteras, ad virtutem, ad pietatem.
De pietate viri erga Deum in extremo ipsius vitæ actu di-
cere volui potissimum, in quo sicut virtus cursoris in stadio
ad metam, illa maximè enituit. Nescio, ut perpetuo mibi
suspeeti sint, qui vultu verbisq; pietatem præ se ferunt: &
multi quotidie in sacris, nihil religiosores, quoniam nihil
meliores. Inde iudicium facio, sine quod propter res suas ab
iniurijs nihil abstinent, sine quod præ suarum rerum cura ali-
os non respiciunt probos, tennes, dignos misericordia. Vitæ
honestas & actionum constantia certius testimonium dicunt,
quo cultu, quantoq; affectu Deum veneremur: deniq; perpe-
tuum rectè agendi studium neutquam fallax pietatis argu-
mentum esse creditur. Namq; perfecti aliquid in mortali-
bus frustrà querimus: ac semper in unoquoq;, quanta
quanta esse nostra somniemus, vitæ perfectio & sanctimonie
desiderabitur. Que de Mylio exposui, in ijs nihil cultu pietati-
tis indignum fuit: pleraq; notas pietatis & virtutis argu-
menta censeas. Quæ viri pietatem plenius redolerent, sine
testarentur, hæc erant: nihil agebat, nisi implorato Dei au-
xilio: liberos ad Dei cultum educabat: preces pronunciare
statis diei horis iubebat: videbat, ut eorum studia consentanea
ijs essent, que discerent, & à Deo bona peterent: miseros
consilio, idq; vltro, tenuiores ope subleuabat, præsertim quos
esse probos & reverentes numinis iudicabat: cærimonij &
precibus publicis intererat lubens, & ædem sacram à suis fre-
quentari gaudebat: qui neq; in eo segnes erant, quod patrem,
quia

quia sedulò idem ipse ficeret, velle serìo videbant. Ipse audiēbat attentè, qui populum erudirent, si præterquam quod verè & doctè, etiam propriè, purè, disertè loquerentur: attentius multò, si præterea copiosè & luculentè. Ex eo generē ut Suerini semper esset eximius aliquis, magna cura vide-re solebat Ioannes Albertus, & si desideraretur, id acerrimo huic censori negotium dabat. Qui eo loco dicendi genus sublime, ad grandiloquentiam, siue ostentationem potius, quam ad auditorem vel erudiendum vel corrigendum comparatum adfectaret, eum contemnebat, nec intelligere dignitatem rationemq; tanti muneris arbitrabatur. Nec enim id esse, famam eloquentiae aucupari: sed gregem sue fidei creditum pedo ab erroribus ad salubria prata dirigere & cœlesti doctrina, quantum cuiq; opus esset, idemq; caperet, pascere. Hoc verò neq; ijs cordi esse, aut certè eos non satis intelligere putabat, qui vel disquisitiones sœpe inanes, aut superuacaneas, de quibus inter se hodiè pessimo publico magna contentione primi sacrorum mystæ digladiantur, in medium adferrent, aut quem libèret, vel ex plebe vel ex principibus reipub. quasi in theatrum producerent, siue caussæ ad hanc rem aliquid haberent, siue esse videretur, vel fingeretur, quod interdum fieri, vitæ nos v̄sus edocet. Hac de re sermones acriores, Myly relatu non indignos, premam potius silentio, ne quis fortè eius generis aberrationum reprehensione ipsum sacerdotum ordinem grauiter lædi calumnietur: præsertim cùm quidam nihil sanctius esse iurent eiuscmodi vehementia, quam ab inscitia siue vitæ imperitia profectam angustiore zeli nomine

mine aberrantes s^ep^e palliant. Ille verò Christi ministros colebat, & multis præsidio erat: quanti quos fecerit pre alijs me non fugit: de uno dicam, qui & ipse pridem decessit. De ijs enim qui vixerunt, loqui me posse putem rectius: nec vi-dear dicere secus, quād & res sit, & ipse sentiam. Nouerat ab adolescente Simonem Paulum, quod Suerini natus patre cum primis honesto viro, nec ineruditio, eius oppidi consule. Hic autem, ex quo ad sacras litteras se contulerat, non doctrinas ille liberales deinceps negligebat, sed initio in ijs totos etiam dies erat, ita ut quae viderentur, ipse interdum publicè doceret: ad precepta autem celestium oraculorum animum vitamq; omnem conformarat, & genus dicendi sibi compararat, non ad fastum nec ad pompam, nec ad aures demulcendas, sed ita populo commodum, ut probaret idem, qui non esset de populo: in docendo adserebat, quae nescire nefas esset: cùm virtus inseparabatur, erat acrior: cùm quos priuatum obiurgabat, non paullò remissior; ita tamen ut auctoritatem tueretur. Intelligebat enim auctoritatem non esse imperium: & eos frustra sibi imperium etiam æquissimum sumere, in quibus non sit auctoritas: auctoritatem non esse absq; admiratione: admirationem absq; virtute oriri non posse, neq; radices agere, vbi beneficium nullum severis. Nec tamen sibi quærebat imperium, quod ei in mentem nunquam venisse, ex omnibus viri studijs adfirmare non dubitem. Longè enim ab eo aberat ambitio: cedebat potius, quād cum quīquam contenderet: qua refecit, ut ipsi boni viri vltò cederent. Nec vñquam inspicionem auaritie venit,
etsi

et si erat bona in re, quod habebat patrimonium, & uxores
satis dotatas duxerat, quarum prior doloribus partus extincta
fuerat: quae ei deinde nupta fuit, & ipsa rem familiarem sedu-
lo curabat, & ille ab omni luxu abhorrebat: Itaque cum decede-
ret, fuit viduæ, liberisque, ne egerent. De multis millibus aeris
non cogitarat: aurum argentumque fænori non dederat: scelus
esse indicabat in dispensatore cœlestium honorum, si totus in hæc
caduca incumberet, quæ ad auditores ipse perpetuo extenua-
ret. Priuatum ipse prorsus nemini male velle, nemini maledi-
cere, cum nemine simultatem alere, neminem odisse. Qui hanc
laudem singularem esse non putat, huius sæculi mores ignorare
videtur: ego magnum esse induco, ijs vitijs minimè obno-
xiuum esse, quibus scatent plerique mortalium. Humanus erat
præterea, & comis & suavis in conuictu: plenus officij, labo-
rum patiens, quos pro alijs susciperet ultro. Si offensa fuisset
nata inter coniuges, ibi auctoritate & consilio præsto erat:
nec minus valebat in tollendis alijs inimicitijs. Et ciues igi-
tur eo vtebantur, & hospites: & licet alijs vna ipsorum negotijs
adhiberentur, tamen erat, cur ipsi præcipue gratias age-
rent. Nec est, ut ostendam, has ipsius partes fuisse: quas
theologi cum primis esse nemo inficiabitur. Eum igitur vi-
rum in patria primò docentem amavit Mylius, & postquam
Rostochij, tum in templo, tum in academia cum laude publi-
cè docuit, eadem benevolentia semper complexus fuit. Ego
verò Simonis Pauli, quo & amico & collega in academia su-
pra XX annos vesus fui, laudes libenter intexui. Et enim ve-
ræ sunt, nec legentem remorature. Cupide namque & pauca
M & rara

& rara cognoscimus. Nec ab proposito abiero, qui amicos
Mylij, cuius honoris seruio, eosdemq; meos, proprijs honoribus
afficiam. Detestabatur autem sèpè sacer aliorum malitiam,
qui acerbè, nec sine contumelia disceptantes, non iam de ne-
cessarijs, sed de obscuris & inexplicabilibus rebus, animos
mortalium ad odia, inimicitias & iniurias inflammarent, a-
liorum inscitiam, qui sola impudentia freti censuram sibi de
maximis rebus sumerent, & sua cum infamia atq; publico
malo in publicum ederent. Initò quædam legere consueuerat:
venerat ei fortè in manus commentarius, qui confutationem
aduersarie sententiæ promitteret: legit primum audiè, si
quid disceret, paullum progressus, abiectis paginis, ita inquit,
refellit aduersarios, ut si pergam legere, cum illis potius sen-
tiam, quam scriptori assentiar. Utinam eius generis nemo
præter illum, quisquis erat. Deniq; à talium disceptionum
lectione totus abhorruit: neq; de me negarim, ut supra trin-
ta annos eas nosse non valde laborauerim: nec tamen satis mi-
hi temporis interea fuit ad ea legenda & cognoscenda, quæ
est operæ pretium scire: quæ tamen ex indoctorum & conten-
tiosorum rapsodys minimè petuntur: verum hoc verbo, si qui
vel hodie vel paullò ante nos veritatis inuestigandæ & il-
lustrandæ gratia in quocunq; genere doctrinæ laborem suscep-
perint, se ledi non suspicabuntur. Ere erat, doctrina præ-
stantes, vsu diuturno perfectos, & scribendi facultate prædi-
tos, Vera monumentis litterarum consignare: infantes, pue-
ros, indoctos, si ingenio Valeant, & scire desiderent, discere
& quum sit, aut si hoc non libeat, tacere. Verum hæc in omni
gene-

genere scripturientium insania vetus est, & cultissimis olim
saeculis meritò exagitata: et si hodie magis frequentatur, quod
annis pueri, litteris neq; dum leuiter tincti, ipsius etiam lin-
guæ rudes, inscitiae fortes incredibili impudentia exponunt
oculis omnium, doctissimorum & acutissimorum hominum
censuras minimè reueriti, dummodo apud plebem in pretio
sint, & popularem gratiam consequantur. Sub nouissimum
ver prodierant nouæ contentiones sive disceptationes, ne
quem verbum durius offendat, quæ cum ab amico vetero ad
Mylum mitterentur; obiter inspectas pagellas, non sine sto-
macho, ut appareat, ad eum remisit, cum graui censura, pror-
fusq; his verbis: Hoc genus concertationum cum fugi semper
antea, & pro mea simplicitate in ipsis veræ doctrinæ fonti-
bus adquieui: tum vero in tam multiplici opinionum confu-
sione neq; animum meum incertis dubitationum fluctibus ob-
ieci, neq; ut hoc fieret, temerè iudicaui esse committendum.
Legant igitur ista, quibus hoc fuerit commodum: ego horu-
las meas melius didici collocare. πολλοὶ εἰδὼν ἄταν τὰ
ἀποφεύγειν, ἐπηρέχη, τοῖς ἀντὶ τὸν λόγον· οὐδὲ φεύγειν· ὅ-
πως δέ, αὐτοὶ ἔσται, δέοντες τῆς πορείας, τὴν παθητικήν. Sic igit-
tur ille sensit: idem & consuleret familiaribus: & saperent,
qui sapienti seni auscultarent. Plerique autem talia non Veri-
tatis studio, sed nouitatis desiderio legunt, parum de animæ
salute, vel etiam de informatione vitæ solliciti. Ita fit, ut in
factiones trahamur: cui malo comitantur haec maxima, odia,
iniuria, calamitates priuatae & publicæ: atq; ea omnia palli-
antur tamen habitu sanctimoniae & zeli. Nomen enim hoc

Græcum usurpabo, quod in omnium ore est, et si eius vera vis
plorosq; fugit. Vulgo namq; indignatio cum inscitia zelus est.
Quam autem super hac re Mylij sententiam peruersitas, vt
adsolet optima quæq;, facile calumnietur; pro argumento
Deo deuoti animi habendam existimem, iudicantis, videnda,
quibus quis confirmetur, repudianda, quibus conturbetur.
Cæterum & in hoc viri pietas elucebat, quod acceptum à do-
mesticis, sed accuratius ab Hederico expositum, referam, pœ-
neq; adeò ipsis verbis. Etenim cùm lectioni sacrarum littera-
rum studiose semper incubuisse, cuius preter nos testis est
locuples aula, eiusq; omnis vicinia; extremis vitæ annis le-
tissima quædam scripta theologorum legere quotidie solebat,
quibus præcipua & maximè salutaria pietatis præcepta com-
prehenderentur: in cæteris sanctissimorum hominum senten-
tias magno pioq; studio comportatas: libellorum margini,
quodcunq; spatiū haberent, mentem quoq; suam adscripse-
rat: quia vtebatur ijs doctrinis & consolationibus, siue res
nonnihil essent prosperæ, siue etiam nimium aduersæ: deniq;
interdum amicis præsentibus & prælegebat, quibus maximè
caperetur, & suas tum meditationes tum explicationes, ac si
docendi munus suscepisset, subjiciebat, cum sua ipsius magna
voluptate, & audientium non minore cum fructu, quam ad-
miratione. Quare neq; affixus erat rebus caducis: nec mor-
tem expauescebat, qui se decedere non inuitum aiebat: inter-
dum Cardinalis Aleandri animum prædicabat, quem hoc di-
sticho ostenderat, quod paullò ante obitum monumento inscul-
pi curauerat:

Katja

Κάτιανον τὸν ἀέινων, ὃν πάνθεμηγι ἀν Πτυμάρειος
Πλείσων, ἀντεῖ ιδεῖν ἄλγον λῷ θανάτῳ.

deniq; simile quiddam suo monumento inscribi optabat. Non longè aberat tūm à meta Mylius : dolores eum alij atq; alij adoriri , corpus præter morem variè affici, accersi medici : ex eorum præscripto ille vivere : verum vires , tum laboribus tum annis debilitatæ, iacebant. Igitur ad se liberis & generis, qui in vicinia essent, accersitis, exponit, quid fieri de plærisq; velit. Nam & mente sibi constabat, & animo memoriaq; valebat : nec in ipsis doloribus eum verba deficiebant : deniq; sibi cum rebus humanis nihil esse amplius inquiens, ad Deus totus se conuertit, & visus somnum expetere, iamq; obdormiscere, ut fit exhaustis viribus, inter manus suorum, prius calendas Maias placide exspirauit. Ploratus ibi, ut fit, mulierum, omnium lacrymæ : funus Mylio factum ex ipsis dignitate : in quod monumentum iam quatuor filios, duos de meis liberis, infantulum unum, & alteram filiam, de qua ante dixeram, & biennio ante coniugem intulerat, infertur & ipse. Longinquiores generi, Eobaldus in Pomerania, ego in academia Iulia , de socii morbo vix acceperamus, cùm de eius pia ex hac mortali vita migratione nuncius diebus admodum pauculis subsequitur. Ex aliquot dierum intervallo Iochimus Mylius filius & affines, qui ibi tum erant & in vicinia, Suerinum nos quoq; accersebant litteris, ut res postulare videbatur. Conuenimus Suerini mense Iunio: in alterum mensem vna in ædibus Mylianis fuimus. Erant primis aliquot diebus sermones inter nos de rebus varijs, & magis ad

luctum quād ad ullam deliberationem spectantibus : nec ullum in cuiusquam verbis aut vultu indicium aliud, quād veteris benevolentissimi animi: nec quisquam aliquid exspectabat iniquum, nec optare videbatur: quod faciunt pleriq, cūm de familia ericunda agitur. Tum enim alijs in aliud inbiant: tum æquo plus expetunt: tum cohæredibus non clanculum inuident: tum iniuriam ab alijs metuunt: acutè differunt: iungantur acriter, magna contentione digladiantur, non iam de domo, de fundo, de torque aureo, de poculo gemmato, de veste, sed fortè de annulo parui pretij, vel de lignea sellula: erumpunt eiusmodi in inimicitias, in odia, in lites plurium annorum: redundant autem in incommoda cohæredum omnium, deniq in mutuum dedecus. Etsi tale quippam inter nos à nobis non metuebatur, (familiarium enim formido hac de re inanis fuit: aliorum autem sinistra auguria nihil ad nos) quod nemo nostrum miserè egeret, & quisq modico contentus esse consuebat: tamen ne: minimum quid eiusmodi oriretur, absq offensa autem omnia æquissimè transigerentur, adsciuimus in deliberationem non nisi tres viros moderatisimos, quos & Mylio & Mylianis omnibus amicissimos ab initio fuisse, nobis omnino constaret, & cuq eorum suas pates tribuimus: nec illi molestiam, quæ minimum aliquot dierum futura erat, recusarunt. Nihil fuit prætermissum à nobis, quod leges siue consuetudo requireret, ne quid eorum, quæ gereremus, postea in dubium vocari aut rescindi posse videretur: præsertim cū vñus affinium abesset in militia, quem occidisse in prælio antè narrauimus, & virgo sororum minima desertior vide-

videretur, & filius familias exspectaret aliquid singulare de patrimonio. In his enim nodus esse potissimum credi poterat, quem nos, nec vi, nec cupiditate, sed consilio & benevolentia soluimus. Erant illi senes prudentes & fide præstantes, Herericus primus, cuius sèpè iam meminimus, & Georgius Fussius, consul, & constantis adhuc ætatis Fusij gener, socrus nostræ frater germanus, Daniel Rotermundius, senator ipse quoq; litteratus, ut veterum dicta & in deliberatione & in sermone quotidie usurpet. Habet autem in promtu nimis, & cum ipse libenter accipit sales, tum libenter ijs adsperrgit familiares, in consuetudine iucundus, ut eum senex Mylius semper habuerit in familiarissimis, eiusq; industria & opera in multis grauibus negotijs usus fuerit: nec deniq; nullo usu rerum præditus. Nos autem Danielem seruauimus nemini deuinctum, ut si qua de re esset dissensio, vltro citroq; moneret, & rationes afferret in medium, quæ viderentur. In prima deliberatione ad id respeximus, quod primum & difficilimum videbatur, ut filiofamilias consuleretur, nec tamen querela nasci posset in posterum aduersus eum vlla: nemo erat de generis Myly, quin æquè illi faueret ac suis liberis. Totos dies in negotio non fuimus, nec esse per calores illius mensis poteramus: manè tractabamus, quæ prima videbantur, cætra ordine: de alijs rebus erant sermones pomeridiani: fracto nonnihil æstu, vel nauicula traiiciebamus lacum, vel fundos & hortos videbamus: exspatiabamur & in vicinam siluam, à qua suburbium nomen traxisse suspicor, ut ibi greges ferarum liberi nostri spectarent. Semper igitur vna totos dies fui-

fuimus: ex quo animorum inter nos discidium nullum, ac vix
dissensiunculam vlla de re exortam satis appetet: Vna item
quotidiè cœnati, sermones in multam noctem produximus,
cum ea suauitate, quam luctus permittebat: ad negotia po-
stridie semper aliquot ab ortu horis redijimus: nec præteriit
octiduum, quando in omnibus nobis optimè conuenit cum My-
lio, iuuene, in quo sunt humanitas, comitas, sales, honoris stu-
dium, nec non tamen rei familiaris cura: quod laudo, ne sor-
dibus sit occasio, quæ longè aberant à moribus parentum, sed
ut materia liberalitatis: est vero in primarijs artibus patre
non inferior. Etsi autem in aula visit adolescens, & iuue-
nis in cura rei familiaris fuit occupatior; tamen nunquam est
sine litteris: & scribit, quæ libenter, & si curam adhibeat,
cum admiratione legam. Cum enim ad me nostro sermone
scriberet, egoq; qui semper sum in Græcis Latinisq; litteris,
Latinè responderem; mea importunitate excitatus ita ali-
quoties respondit, vt ipsum non ruri, sed cum Musis vitam
degere suspiceris: ac certè nec ipse rus nec solitudinem fugi-
unt, & locum, vbi cum patre erant perpetuae, vt & ibi per-
noctarent, deinceps incolent, illectæ, non tam campis, & vi-
rente silua, & prætermeante Varno, quām studio iuuenis a-
deò integri & ingenij acris inuitatæ. Non decebat omnino
nos humanitate socii filio esse inferiores, qui etiam patri
plurimum deberemus: quod ipse ab initio profiteor, omniq; oc-
casione prædicto, quām de me benè præclareq; meritus sit. In
hoc igitur negotio et si non ea, quæ pater voluisse vifus fuit,
ita transigi potuerunt omnia, quod, quæ ille multa alia vo-
luit,

luit, morte præuentus perficere minimè potuit: sed fuerunt
tamen ad eum modum inter filium & generos, æquissima
& nostra voluntate, transacta certè omnia, vt si pater ea co-
rām cognoscat, nec aliter tūm fieri potuisse, nec aliud se vo-
luisse, professurus omnino videatur. Litteris enim, quas ad
nos plures dederat, sic se consuli filio velle ostenderat, vt ini-
quis in filias nepotesq; videri nemini posset. Hunc finem
nos asscitos, non dubitamus, & confidimus, idem filium in
perpetuum de nobis ad quosq; testaturum. Nos ipsi eam hæ-
reditatem benè euenire optamus, vt cùm ea ipsa vtatur &
fruatur, tūm amplificatam transmittat ad filios, in quibus
Myliana bonitas & præstantia omnibus seculis cum publico
bono eluceat. Quām paucissimis porrò diebus fieri potuit,
generi inter nos, minima molestia, amicissimis animis, compo-
suimus cætera, cum nemo inuidiæ locum daret, quisq; quæ vel
pluribus viderentur, vel fors daret, ijs contentus esset. Non
solum autem omnes litium, quæ pullulare possent, si quid hīc
iniquius aut cupidiūs esset administratum, occasiones præci-
dimus, sed veterem quoq; benevolentiam inter nos ita stabi-
liuimus, vt perpetuo studijs officijsq; certaturi videamur:
quod affinibus ipse, eorumq; liberis facile prestatib; neq; non
mihi meisq; de ipsis pollicor. Putauit autem neq; hoc omit-
tendum. Nec enim nihil ad vita functum posteritatis felici-
tas & mores pertinet: immò ex hoc ipso saceri prudentiam
licet perficere, qui sic liberos instituerit, tales sibi generos
delegerit, qui viuo voluptati fuerint, & vita functo honori
sint. Exemplum etiam à nobis nostros petere volumus, vt

N

si qua

si qua olim supersint, æqualitatem siue iustitiam in conspe-
ctu habeant, ut parentes habuerint, & si forte quibusdam
paululum, sibi tamen inter se & consilio fideli perpetuo &
re, quantum cuiusq; facultas feret, ut consanguineos decet,
subueniant. Funus fuisse pro viri dignitate curatum, ante
dixi: neq; non deliberatum inter nos fuerat de tabella ænea,
que in templo cathedrali parieti affigeretur, & ipse que me-
moriae & honori tanti viri deberentur, quam paucis verbis
poteram, comprehenderam, deniq; in me receperam, ut Sue-
rino in Iuliam reuersus, in vicina Brunonipoli, ubi artifices
essent, tabulam fundendam, & illa incidenda curarem. Il-
luc igitur etiam iterum profectus, egi cum artifice, ut cuius-
modi illic tabule in columnis templorum visuntur, talem mi-
hi eo anno fabricaret. Incidere vero tum motus, ut neque
inscriptionis exemplum hodiè habeam: neq; enim hoc loco ad-
scriptum legi nolle. Ipse autem clarissimo optimieq; de Me-
gapoli merito, Andreæ Mylio, socero à me semper ita culto,
ac si natura pater esset, ut erat animo & beneficentia, hoc ex
ingenio meo depromptum, meaq; oratione expressum, qua-
potui: illum autem sapientissimum & eloquentissimum hac
in parte assequi non potui: hoc illi, inquam, monumentum
posui, ære perennius: quod nunc demum alibi quoq; gentium
videatur, legatur, censeatur hoc saeculo. Etenim, ut perpe-
tuum sit in longinquis gentibus, cum neq; mibi pollicear, meæ
ipsem et mibi tenuitatis siue mediocritatis conscientia, profi-
teri non debo, ne in vanitatis suspicionem veniam, qui ve-
ritati studeam, etiam plus, quam laudi illius, cui operam dedi.

Fugio

Fugio enim & detestor eorum consuetudinem, qui ex una le-
othe, & pueros & senes, & plebeium & patricium, & gre-
garium militem & imperatorem, pingunt, ut lector, cui ali-
quid salis, garrulitatis & ostentationis pertesus, nihil cre-
dat omnium, nedum quid discat & admiretur. Apud Me-
gapolitanos tamen, & esse scio, & futuros spero, qui hæc &
non improbent & custodiant: de Mylij consanguineis & co-
gnatis & affinibus non dubito, qui hæc accepturi cupide atq;
ita conseruaturi sint, ut & commendent familiaribus, &
tradant, non absq; mandato cognoscendi, suis. Itaq; cum gra-
tum me ostenderim, non omnem operam lusero: fieri præter-
ea potest, ut hæc qualiscunq; lucubratio, neq; temere cogitata,
neq; subito litteris consignata, profit politicæ cultoribus, adi-
tum, ad remp. & regias, molientibus. Sunt enim, quibus
hoc sive Minerua instillauit, sive præcipiunt, quibus hæc po-
testas, sive natura, sive legibus. Sunt enim multa, quæ hinc
& suo & publico bono diccat huic primariæ disciplinæ initia-
tus, non ex præceptis, quæ hic mea nulla sunt, sed ex hoc ex-
emplo, tanquam è statua Polycleti, qua ars ipsa ita erat ad
vnguem expressa, nihil ut desideraretur. Fit etiam sape
& in ingenij, tūm acribus, tūm stupidis, ut exempla plus
valeant, quam ipsa rectissima regula. Hi namq; quod qua-
si oculis cernunt, imitantur, quantum queunt: illi confir-
mantur & proficiunt in ijs, quæ mente prius, potissima ex
parte viderant, atq; ita pro captu vtrinq; perficiuntur. Sunt
enim quos natura certis rebus destinauit, alios ad summa, a-
lios ad mediocria, plurimos ad ima, ut sunt opificia & labo-
res,

res, quæ non nisi corpore perferuntur. Non aio fuisse socerum meum ισέων πολιτεῶν ἀνδρός, neq; hanc in hoc monumento ostendere volui, sed quæ pleraq; in ipso fuere, politici propria. Erat Andreas Mylius honesto loco natus, erat in litteris à teneris, in ludo puerili educatus ad probitatem & doctrinam: adolescentem in ludo ad patriam Misenam erudierat Dabercusius, amatus porro à Georgio Fabricio. Fabricium autem & erudierat, & admirata fuerat, nobis Transalpina, Italia, omnium gentium hoc saeculo magistra. Ad honestum locum in ampla repub. aut aula principis, aditus vili non datur: neq; humilis se maiora ambiat, et si interdum illo rapiuntur, ob fidem, & industria. Occluduntur autem fores primæ non iniuria, cum in quibus ingenij parum, tum ad virtutem & res non educatis. Ad educationem faciunt informatores, cuiusmodi sunt, quibus ille usus fuerat: sepe tamen inscitia & imperitia, fingunt sibi, & præse ferunt sapientiam. Mylius porro instruetus litteris, quibus cum innotuisset, probauit, præter fidem, industria suam, laborum ab initio suscipiens, quantum ferre quidem posset, non vino ullisue voluptatibus deditus. Nam qui sic sunt, inepti sunt ad ardua negotia. Quid namq; rerum gerat, in quo pigritia, quam aliquando natura producit. Habebat autem ille natura hoc boni, vt esset tum animo ad omnia presenti, & prompto, tum firma semper valetudine. Cui haec bona natura non sint, aut partes officij, non omnes, aut non satis expletas, aut sub onere concidat, quorum illud bonus nolit, hoc etiam est miserabile. BONVM CONSILIARIVM dies noctes-

noctesq; vigilare & labores subire oportet, cogitando, scri-
bendo, orando: etiam itineribus faciendis, siue quo sit cunq;
eundum, siue dum longinquas legationes obeunt: accedit,
quod siue domi sis, siue alibi gentium, cum quibusq; viuen-
dum est, comparare te tibi necessum est, non ut ipse velis, sed
ut consuetudo popolorum inbeat, siue eam probes, siue etiam
detesteris: recusandum nihil est, quod salvo viri boni officio
præstari posse videatur. De humanitate Mylij dixi, vera
illa, non comparata arte, neg, simulata, sed nata ex integrita-
te animi. Fucum esse non opörtet neq; in vlo inferioris or-
dinis: deprehensa simulatio vniuersæ Vrbi hominem iniui-
sum facit. Luceat igitur integritas siue præluceat cæteris
virtutibus. Ex integritate enim cognita præsertim & præ-
dicata plurium sermonibus, polliceri non minus Virtutes ali-
as possumus, quam ex aurora oriturum iamiam solem certo
statuimus. Cum autem iniuriam idem nemini faceret, auer-
tebat non à mōribus solum, sed ab animo etiam, quæcunque
iniurias in animis nostris caussantur: sunt cum alia, tūm am-
bitio & auaritia: hæc est plurimum, pauciorum forte illa.
Ridiculè autem ambitiosi sunt, qui siue eximijs virtutibus,
& meritis erga multos, primas sibi decerni flagitant: præ-
stantes, & veram gloriam adepti, illiusmodi ferunt, & a-
pud anūmum suum rident. Auaritia autem cum nihil sit
peruulgatus, ab eo genere hominum nihil cum confidentia
boni sperari potest: ad quos, nisi quid feras, & quidem quan-
tum quisq; firiāt, nihil auferas, ne quidem sententiam medio-
crem, forte tibi debitam. Querela vetus est de hirudinibus

fori: cuiusmodi hodie sunt ciuitatum, etiam regiarum, &
maximae & sicutientissime: non eas tantum vulgus in ore ba-
bet, sed ipsi se inter se cum extrema inuidia, & latentibus
odijs vellicant. Cum autem boni consiliarij sit, secundum i-
psos reges, benè de alijs merendi studium, cogitabit ille potis-
simum de vniuerso, siue reipublicæ, siue regionis, siue popu-
lorum bono: proximo loco de educatione iuuentutis, ad quam
pertinet conseruatio litterarum, scholarum patrocinium, a-
cademiarum potissimum. Nam si haec non fuerint, ne con-
siliarij quidem sint, quo loco sunt: neq; ipsorum filij olim esse
queant, quos ipsi esse velint. Quam autem hoc bonum a pauci-
curetur, ipsos quinquaginta annos vidi: neq; igitur sine
causa prædico, quotquot accepti beneficij memores, suiq; of-
ficij non immemores, aliquam gratiam referunt: utinam ra-
tionibus & oratione excitare ad hanc ego curam valeam plu-
res. Sed hic finem faciam, ne politicum virum informare
in hoc epilogo velle videar: imitor senem, qui forte adstans
nobili illi Cebetis tabulae, dextraq; virgulam in singulas illi-
us picturæ particulas intendens, simul aliquid de vitijs &
virtutibus verborum faciat ad adolescentulos, forte verbo-
sius & liberius, quam ætas illa velit aut ferat: simili ipse-
munere mibi iam perfunctus videor: rectè factum, & alijs
videri velim. Non est, nisi unum reliquum, minimè cum
ob rem, tum, ut maledicentie bac in parte os obstruam, re-
ticendum. Nisi enim de pietate in Deum denuò memine-
rim, et si in oratione dixeram, illius simulatrix, prophanita-
tis me insimulet. Ego vero eorum, quæ recensui, constare
nihil

nihil omnium posse absq; sincero Dei cultn, & ad hunc cæteris omnibus comparatis, assuero: in ipsa pietate & initium esse, & medium, & finem statuens, qua de re animo ambiguo nunquam fui.

F I N I S.

EYXH KYPIAKH.

Habitans in astris verticem cœli supra,
Affunde nobis, quod sat est, lucis tuæ:
Natu gubernă nos tuo, rex & pater:
Tibi obsequamur quisq;, sicut cœlites:
Quod est opus, da largus indies tuis:
Veniæ fores reclude, si mites sumus:
Tot ne in periclis occidamus, subueni:
Quin liberatos è malis, cœlo bea.

Prid. Id. Sext. c. 19 l. 20 exl.



... in quibus omnes sicut in aliis etiam
in omnibus eis quae sunt in aliis
eiusdem etiam in aliis etiam in aliis
eiusdem etiam in aliis etiam in aliis

F I N I S

EYXH KYPIAKH.

Apertus in suis verticibus est super
Aliunde dopes domus vestry. Iucis trias
Nostri suppeditos nos tria, tuncque postea:
Tibi operatus sum diuile, flectit collum:
Quod est obne, de latibus interiectis trias:
Aenite fortis iecundie, ut mites lumen:
Tot uere in beatis occidimus, tuncque:
Quoniam peregrinos multis, cœsio pera.
Pax W. Seitz eti ei ex ea



AB 87-900


ULB Halle
002 717 867

3



Sb.

VD 17



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue


Centimeters

Inches

Farbkarte #13

13.

RATIO FVNEBRIS
scripta
IUDREAE MY=
V. CL. MO ILLVSTRIS.
horum Ducum Megapolitanorum
Consiliario.



Helmaſt. in acad. Iulia,
Typis I A C O B I L V C I I,
Anno c I o. I o. c XI.